DE PRIORE
QUAE DEMOSTHENIS FERTUR
ADVERSUS ARISTOGITONEM
ORATIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

RICHARDUS WAGNER
PARCHIMENSIS.

CERVIMONTII
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ‚BOTE AUS DEM RIESENGEBIRGE'
MDCCCLXXXIII.

GEORGIO KAIBEL

SACRUM

De nulla fere oratione inter Demosthenicas nobis tradita tam multae tamque diversae a viris doctis prolatae sunt sententiae quam de vicesima quinta, quae inscribitur adversus Aristogitonem prior. Iam veterum de ea iudicia vehementer inter se discrepabant. Nam cum Dionysius Halicarnassensis[1], argumentis ex dicendi genere petitis commotus eam Demosthenis esse negasset, alii, velut Plinius (in epist. lib. IX, 26) et auctor ille ingeniosissimus libelli de sublimitate (c. 27, 3, p. 277 Sp.) et Hermogenes (περὶ ἰδεῶν I, 8 p. 240) luculentissimum eam putabant exemplum gravitatis et vehementiae Demosthenis ac non pauci eius loci a rhetoribus ad praecepta dicendi illustranda afferuntur. Recentioribus autem temporibus multi virorum doctorum, qui huic orationi operam dederunt, eam non modo Demostheni, sed etiam foro Attico abrogaverunt, velut Taylorus (in praefatione editionis suae), Dobraeus (Adversaria critica p. 485), Westermannus[2]), Boeckhius[3]), A. Schaeferus[4]), qui omnes orationem rhetori Alexandrino adscripserunt. Blassius[5]) quoque huic iudicio assensus est, ita tamen, ut fragmenta orationis genuinae (§§ 54—61, 69—74) inesse suspicaretur. Sed alii summo cum studio orationem defendere conati sunt, inter quos primo loco nomino Reiskium, qui 'nervos fortes, animos nobiles, acres igniculos, colorem virilis roboris huic gravissimae orationi' inesse iudicavit (cf. adnot. eius ad p. 786, 5), et ira quadam

---

[1]) περὶ τ. λεκτ. Δημ. δειν. c. 57 p. 1126, 11. cf. etiam Libanii ad Dem. XXV hypothesin et Photii biblioth. cod. 265 p. 491, 30.

[2]) De litibus, quas D. oravit ipse. Lips. 1834. p. 65 sq. et Quaestt. Dem. III, p. 94 sq. cf. etiam Dindorfii editionem Oxoniensem vol. VI, p. 1013 sq.

[3]) Staatshaushaltung p. 51, Urkunden über das Seewesen p. 536 sq.

[4]) Demosthenes u. s. Zeit III. 2 p. 113 sq.

[5]) Att. Beredsamkeit III, 1 p. 360 sq.

increpuit eos, qui de genuitate dubitaverant, tanquam 'eloquentiae naturam ignorantes'. Putabat autem, alteram adversus Aristogitonem orationem cum priore in unam esse coniungendam et hanc Hyperidi esse ascribendam. Quod verum esse nemini quidem persuasit, priorem vero orationem Hyperidis esse Cobetus[6]) etiam nunc tenet tanto cum ardore, ut omne fere iudicium abroget iis qui aliter censeant. Inter praeclarissima eloquentiae Atticae monumenta Braunius[7]) quoque eam numeravit, qui cum eius dicendi genus diligenter examinaret, multa indagavit, quae a Demosthenis dictione, sed nulla, quae a foro Attico aliena essent. Postremo vero Weilius[8]) omne acumen ingenii contulit ad orationem rursus Demostheni vindicandam. Est autem haec quaestio eo maioris momenti, cum permultae in oratione res insint ad ius Atticum pertinentes, quae num verae sint, maxime refert scire. Itaque non putabam me acta acturum, si denuo quaestionem tractarem. Spero autem hoc me argumentis satis firmis posse demonstrare, orationem non ab oratore neque ab homine Attico, sed a rhetore atque eo ineptissimo esse compositam. Deinde etiam de consilio, quo ficta sit, de tempore locoque, quo auctor vixerit, quid sentiam, exponam.

---

[6]) Novae lect. p. 225, et Miscellanea critica p. 559 sq.

[7]) De duabus adv. Ar. orationibus, quas D. scripsisse fertur. diss. Gryphiswaldae 1873.

[8]) Revue de philologie vol. VI p. 1 sq.

§ 1.

De causa Aristogitonia et scriptoris iuris Attici imperitia.

Primum nobis quaerendum erit, num ea, quae auctor de lite dicat, recte se habeant. Cum hac quaestione duae aliae cohaerent, prior, num omnino iuris Attici peritus sit, altera, num reliqua, quae de Aristogitonis vita et moribus narrat, credibilia sint. Habemus autem, etsi Lycurgi oratio in hac causa habita et Hyperides ab Aristogitone defensio perierunt, tamen fontes non contemnendos Libanii argumentum orationi praemissum et Dinarchi orationem adversus Aristogitonem in causa Harpalica habitam.

De litis origine argumenti auctor haec fere narrat. Pythangelum et Scaphonem deprehendisse quondam Hieroclem in via publica vestimenta sacra auferentem et abduxisse eum ad prytanes tanquam sacrilegum, atque illos postridie de hac re ad populum rettulisse. Hieroclem autem dixisse in contione, se a sacerdote vestimenta accepisse, ut perferret ad aediculam quandam Dianae (*πρὸς τὸ ἱερὸν κυνηγέσιον*). Tum Aristogitonem tulisse, ut, si confiteretur ille, se furatum esse vestimenta, statim necaretur, sin negaret, reus fieret, sed a Phanostrato patre Hieroclis esse accusatum, quod rogationem tulisset legibus repugnantem, et a iudicibus quinque talentis multatum. Deinde eum in multam mille drachmum incidisse, cum Hegemonem in ius vocasset, sed pecunia corruptus causam destituisset. Multas autem cum tempore statuto non solvisset, conduplicatas esse, fuisse igitur decem talenta et duo milia drachmum. Tum illum in albo aerarii inscribendum curasse agellum; hunc ab Eunomo fratre emptum esse ea condicione, ut sibi liceret pecuniam intra decem annos paribus pensionibus annuis persolvere, atque duas partes pecuniae esse solutas. Aristogitonem

autem ratum se iam omni debito esse liberum, multis lites intendisse ac saepe apud populum contionatum esse. Sed cum nomen eius de tabulis non exemptum esset, a Lycurgo (et Demosthene) eum esse accusatum, quod civitatem contra ius sibi sumpsisset.

Sic fere argumentum. Haec omnia tam clare et fuse narrata sunt, ut pro certo habere possimus, ea ex oratione Lycurgi fluxisse, quem accuratius de his rebus disputasse ipse auctor dicit. cf. verba: *Ταῦτα μὲν δὴ τὰ ζητήματα, ἐνηγώνισται δ' αὐτοῖς ὁ Λυκοῦργος ἅτε πρότερος λέγων.* Accedit quod verba ipse interdum stilum oratorum Atticorum redolent. cf. *γράφει ψήφισμα, πρῶτον μὲν ἀπροβούλευτον, ἔπειτα δεινότατον* et quae sequuntur.

In oratione pauca de his rebus verba passim fiunt, ac ne ea quidem cum argumenti narratione coeunt. Primum ex argumento, quod hoc ipso loco Lycurgi verba videtur referre, elucet, ad unum Hieroclem rogationem illam Aristogitonis spectasse. Quod quin statuamus, Dinarchi verba, qui obiter rem attigit, non obstare mihi videntur. cf. Din. II, 12 *οὐκ Ἀριστογείτων ἐστίν, ὦ Ἀθηναῖοι, ὁ κατὰ τῆς ἱερείας τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Βραυρωνίας καὶ τῶν οἰκείων αὐτῆς τοιαῦτα γράψας καὶ ψευσάμενος, ὥσθ' ὑμᾶς κτά.* Discimus ex his sacerdotem illam fuisse Dianae Brauroniae, et Phanostratum Hieroclemque eius fuisse necessarios, neque vero verba nos cogunt, ut statuamus, praeter Hieroclem plures etiam eius necessarios esse deprehensos: Orationis autem, de qua agimus, scriptor dicit, tres cives in hac lite ab Aristogitone in discrimen esse vocatos. cf. § 87. *οὐ γὰρ ὅμοιόν ἐστιν, Ἀριστόγειτον, οὐδὲ πολλοῦ δεῖ, γράψαντά σε τῶν πολιτῶν τρεῖς ἀκρίτους ἀποκτεῖναι γραφὴν ἁλῶναι παρανόμων κτά.* Ab argumenti narratione satis copiosa hoc abhorrere perspicuum est. Sed gravior etiam difficultas orietur, si temporum rationem, quibus haec omnia facta sint, constituere conabimur.

Temporis spatium, quod eis, qui pecunia publice multati erant, dabatur ad multam solvendam, antequam conduplicaretur, in minoribus causis fuit undecim dierum, in maioribus, sicut sine dubio in causa Aristogitonia, usque ad nonam prytaniam patebat.[9])

---

[9]) cf. de his rebus Boeckh, Staatsh. p. 506 sq. Dem. 59, 7 et Andoc. 1, 73.

Fortasse hoc tempore Aristogiton Hegemonem detulit. Sed cum secundum leges Atticas capitis deminutio condemnatis ex illo die, quo damnati erant, irrogaretur, dubito num verba argumenti: *τοῦτο μὲν δὴ πρῶτον ὄφλημα Ἀριστογείτονι γίγνεται· ἔπειτα κτά* tantopere urgenda sint. Cogitari potest Aristogitonem Hegemoni litem intendisse, antequam in contione rogationem illam ferret, et deinde eo temporis intervallo, quod inter contionem et damnationem interponendum est, ab accusatione recessisse, cum maius ipsi immineret periculum. Sed utut hoc est, id unum constat, Hegemonem non post illud spatium praeterlapsum accusatum esse.

Quae deinde de agello narrantur, dubium non est, quin haud multo postquam spatium praeteriit, facta sint. Nam duplicata multa si non solvebatur, tota res familiaris debitoris publicabatur. Quod ne fieret, Aristogiton agellum illum inscribendum curavit.

Itaque unus fere annus his omnibus rebus potest esse consumptus. Accedunt duo anni, quibus pensiones solutae sunt. Verba autem quae legunter in argumento: *τὸ δὲ λοιπὸν ὀφείλεται* duplicem in modum accipi possunt, aut ita ut statuamus omnino non plus duo annos praeteriisse ex illo tempore, quo Eunomus agellum emit, usque ad Lycurgi accusationem, aut ita ut putemus iam plures per annos Eunomum pensionem constitutam non solvisse. Illud verum esse efficitur duobus locis orationis. Nam biennium, quod statui, in oratione quoque affertur. cf. § 38. *δύο ἔτη βιάζεται λέγειν.* Praeterea legimus §§ 79 et 80 Aristogitonem in hac lite ab Eunomo fratre esse defensum. Quod omnino cogitari nequit, si ipse iam plures per annos pensiones quas debebat, non solverat. Neque enim solum hominis impudentis hoc fuisset, sed etiam plane mente capti, causam fratris dicere, cum ipse propter eandem causam in capitis deminutionem incidisset; quod factum est, simulac pensionem annuam aerario publico non pependit. Nam si a magistratibus non in eum erat animadversum, fratrem cum defenderet, ipse suam culpam detexit. Itaque omnia inter se quadrare videntur, si statuimus, biennio fere ante Lycurgi accusationem agellum ab Eunomo emptum esse. At § 42 verba leguntur: *οὗτος ὑμῖν οὐχὶ προσῆλθε πέντε ἐτῶν, ὧν ἐτιμήθη μὴ λέγειν αὐτῷ.* Ex his concludendum est, Aristogitonem ante biennium, quod § 38 commemoratur, quinque per annos non in publicum prodiisse. Septem autem hos annos continuos esse, clare efficitur ex fine § 42: *τίς οὖν ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ* (i. e. quinquennio illo) *τοῦτον ἐπόθησεν; — τί δέ, ἀφ’*

οὗ νῦν λέγει βέλτιον γεγονός; Atqui litem Hierocleam ne putemus post illud quinquennium actam esse, repugnant verba, quae exstant § 40: τίνα γὰρ τῶν ῥητόρων οὗτος εἴργασταί τι κακὸν τοσοῦτον ἡλίκον τοὺς ἰδιώτας, περὶ ὧν ψηφίσματα γράψας ἑάλω; τίνα δ', ἐξ οὗ νῦν πάλιν λέγει, κέκρικε ῥήτορα; Primum his verbis opponitur tempus illud, quo condemnatus est Aristogiton, ultimis duobus annis, ex quo efficitur ad tempora priora condemnationem esse referendam. Deinde vero expressim dicit scriptor, duobus ultimis annis nullum rhetorem ab Aristogitone in ius esse vocatum, Hegemon autem rhetor fuit, itaque haec quoque lis ante illud septennium videtur esse instituta. Quae si vera sunt, efficitur, ut Eunomus iam quattuor vel plures annos pensiones solvere omiserit, quod supra vidimus vix credibile esse. Iam vero ad aliam litem nisi ad Hierocleam haec capitis deminutio dubito num possit spectare. Nam si ad aliam referimus, haec non ante Hierocleam acta esse potest. Neque tamen ulla alia commemoratur, qua post Hierocleam Aristogiton damnatus sit. Praeterea verisimile non est, in lite ulla Aristogitonem solum capitis deminutione in quinquennium ac non etiam pecunia multatum esse, quod in omnibus causis publicis Athenis fiebat. De multa autem post litem Hierocleam ei imposita sermo non est. Itaque putandum est, eum in lite Hieroclea non solum quinque talentis, sed etiam capitis deminutione in quinquennium multatum esse. Tamen neque argumenti scriptor nec Dinarchus huius rei mentionem fecit. cf. Din. II, 12 ὥσθ' ὑμᾶς, ἐπειδὴ τὴν ἀλήθειαν ἐπύθεσθε παρὰ τῶν κατηγόρων, πέντε ταλάντων τιμῆσαι τούτῳ, ὅσονπερ ἦν ἐπὶ τῇ τῶν παρανόμων γραφῇ τίμημα ἐπιγεγραμμένον; Accedit quod res ipsa plane inaudita est. Nullum enim exstat exemplum, in republica Atheniensi capitis deminutionem in tam breve tempus cuiquam esse irrogatam. Quae cum ita sint, equidem nullam aliam video viam, qua nos ex his difficultatibus explicemus, nisi ut concedamus, rhetorem hanc multam et hoc temporis spatium sibi finxisse.

Tertium etiam debitum Aristogitonis, nescimus qua de causa, in aerario publico inscriptum erat ab Aristogitone quodam, quem tamen ille accusaverat, quod iniuria se inscripsisset.

Scimus, id quod Boeckhius (Urkunden über das Seewesen p. 536 sq.) luculenter demonstravit, verbum proprium huius actionis fuisse γραφὴν ψευδεγγραφῆς, in hac autem oratione (cf. § 71 sq.) γραφὴ βουλεύσεως vocatur, quae intendebatur in eos

magistratus, qui, pecunia soluta, debitoris nomen non deleverant. Braunius (p. 34 sq.) putat fieri potuisse, ut Aristogiton sive consilio (quo tandem consilio?) sive errore has diversas formas confunderet, et Blassius quoque hanc partem orationis genuinam esse opinatur. Mihi quidem verisimile non videtur, illum hominem multum in his rebus versatum nescivisse, quae esset actio *βουλεύσεως*. Praeterea orationis quoque scriptor eis verbis disserit de *βουλεύσεως* actione eiusque exitu, ut dubium esse non possit, quin ipse putaverit, legitimam eam in hac re accusationem esse. cf. § 71. *ἀλλὰ βουλεύσεως τὸν — Ἀρίστωνα διώκει. ναί φησιν· ἀδίκως γάρ μ' ἐγγέγραφεν.* et § 72 *φέρε δὴ πρὸς θεῶν, κἀκεῖνο σκέψασθε. ἂν ἕλῃ τὸν Ἀρίστωνα τῆς βουλεύσεως, τί ἔσται; κτά.*

Quid? quod ea quoque, quae de forma ipsius huius litis, de qua agitur, in oratione leguntur, maxime suspecta sunt. Delatio (*ἔνδειξις*), qua forma Lycurgus adversus Aristogitonem usus est, ab accusatore ad thesmothetas vel alios magistratus, qui praeerant iudiciis, instituebatur, neque ad totum populum quidquam pertinebat. Orationis vero auctor fingit se a populo in contionibus ad accusationem esse electum. cf. § 13. *ἐγὼ γὰρ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ὁρῶν ὑμᾶς κατατάττοντάς με καὶ προχειριζομένους ἐπὶ τὴν τούτου κατηγορίαν, κτά.* Quod iam Westermannum, qui primus hoc vidit, commovit, ut orationem foro Attico abrogaret. Sed Braunius hoc quoque defendere conatus est. Itaque cum res mihi videatur gravioris momenti, ne ègo quidem plane eam praetermittam, praesertim cum nonnulla nova habeam argumenta quae proferam. Braunius hoc modo totam rem sibi visus est expediisse, ut putaret (cf. p. 41), cum quondam in contione Aristogiton praeter ius verba fecissit, Lycurgum extitisse eumque per *ἔνδειξιν* se accusaturum esse clamasse. Tum populum, homini impudentissimo maxime iratum Lycurgo ad augendam accusationis vim *εἰσαγγελίας* more patronos elegisse. At quaero quid causae fuerit, cur populus accusatori, quo nemo fere fuit acrior, in lite haud ita gravi et quae ad populi iurisdictionem ne pertinebat quidem, sua sponte adiutores daret? Iam vero ne in *εἰσαγγελίᾳ* quidem ullum vestigium inveni, accusatori a populo ipso patronos (*συνηγόροις*) esse adiunctos. Non ignoro, in omnibus libris, quos de antiquitatibus Atticis viri docti composuerunt, hoc legi[10]), sed putaverim, viros doctos in hac re

[10]) cf. Schoemannus, De comitiis Ath. p. 210, Att. Process. p. 268, (Doleo quod non mihi contigit, alterius editionis partes usque ad hoc in

paullulum errasse, nec aberrare a proposito mihi videor, si sententiam meam paucis comprobem. Nam si ne in *εἰσαγγελίᾳ* quidem moris fuit, ut accusatori patroni adderentur, eo minus est credibile, in ea actione, quae *ἔνδειξις* vocabatur, tale quid esse factum. Rectissime autem mihi videtur Schoemannus (de comit. Ath. p. 217, et antiquit. Att. I, p. 419) discrimen statuisse inter eas lites, quae ab accusatore aliquo (*τῷ εἰσαγγέλλοντι*) apud populum, et eas, quae a populo ipso, referente magistratu vel privato aliquo, instituebantur. Delatio illius generis *εἰσαγγελία*, huius generis *μήνυσις* proprie vocatur. Quodsi nomina interdum commutantur, res ipsae tamen valde inter se diversae sunt. Nam in omnibus actionibus, quae a populo ipso instituebantur, accusatores omnes (et saepius fuerunt decem) a populo electi sunt. Exemplum praeclarum est causa Harpalica, exemplum etiam ipsa causa Hieroclis, de qua supra disputavimus, et multae aliae, quas Schoemannus (de comit. Ath. p. 218 sq.) collegit. *Εἰσαγγελία* autem qualis fuerit, nunc nos ex Hyperidis orationibus pro Lycophrone et pro Euxenippo, quarum utraque in delationibus a populo ad iudices reiectis habita est, melius, quam antea, cognoscere possumus. Atque Euxenippus defenditur contra Polyeuctum *τὸν κατήγορον* (cf. col. XLVII, 15 sq.) et Lycurgum, *τὸν συγκατηγοροῦντα* (cf. col. XXVI, 19 sq.), Lycophron causam dicit contra Aristogitonem eiusque *συνηγόρους*, quorum unus idem Lycurgus fuit (cf. col. III, 10 sq. et XV, 20 sq.). Sed ex ipsis verbis Hyperidis elucet, et Lycurgum in lite Euxenippi et patronos in lite Lycophronis ab accusatoribus esse adscitos. Atque etiam a loco Demosthenis (XVIII, 250), quo dicit se saepius post pugnam Chaeronensem per *εἰσαγγελίαν* in ius esse vocatum, sed ne quintam quidem partem suffragiorum accusatores accepisse, plane alienum est de patronis cogitare a populo electis. Nec magis in Lycurgi Leocratea vestigium est talium patronorum. Ceteras delationes, quae afferuntur, hoc loco omitto, cum ad hanc quaestionem solvendam nihil ex iis lucrari possimis (Collegit plerasque Schoemannus. De comit. p. 180 sq.). Nullum autem locum inveni, qui sententiae meae repugnaret. Nam lis Antiphontis, quam et Schoemannus (l. l. p. 203) inter *εἰσαγγελίας*

---

lucem prolatas accipere). Gr. Altertümer (ed. III) I, 419, C. Fr. Hermann. Lehrb. d. gr. Staatsaltert. p. 252, Gilbert, Handb. d. gr. Staatsaltert. I p. 292.

numerat et Gilbertus exemplum affert, sic potius instituta est, ut praetores ad senatum referrent tantum de scelere Antiphontis ceterorum. cf. verba decreti in vita Ant. *περὶ τῶν ἀνδρῶν οὓς ἀποφαίνουσιν οἱ στρατηγοὶ πρεσβευομένους εἰς Λακεδαίμονα κτὰ.* Deinde senatus ipse decrevit, illos esse accusandos atque accusatores destinavit et duces et patronos nonnullos. Ceteris autem locis, quibus *κατήγοροι* vel *συνήγοροι* a populo electi commemorantur, nihil nos cogit, ut putemus, has lites non a populo ipso, sed ab accusatoribus apud populum esse institutas. cf. Aristoph. Vesp. v. 689 et Equit v. 1360, Plut. Pericl c. 10, Dem. c. 14. Praeterea omnino intellegi nequit, quid in his litibus, quas accusatores intendebant, populus sibi voluerit, cum, nescius etiam, utrum reus noxius esset necne, patronos eligeret, qui una cum accusatoribus causam agerent. Ipse Schoemannus alio loco (de comit. p. 221) rectissime sic accusatoris munus describit: ‘Qui *εἰσαγγελίαν* instituit, is iusti accusatoris personam sustinet, reum etiam in iudicio persequitur, convincere conatur, probationes et testimonia conquirit.’ Haec omnia si accusatoris erant, quaero nonne plane inutile ac supervacaneum fuerit, ei patronos adiungere, quos ipse, si modo voluit, facile sibi asciscere potuit. Itaque haec electio, quam personatus Demosthenes sibi finxit, vehementer repugnat naturae non solum *ἐνδείξεως*, sed etiam *εἰσαγγελίας*.

Accedunt etiam alia, quae locum in suspicionem vocant. Verba, quibus auctor utitur, sunt rarissima et inaudita fere in foro Attico[11]), in quo valuerunt de populi electione verba propria *χειροτονεῖν* et *αἱρεῖσθαι*. Praeterea numquam orator genuinus de re tam vulgari, qualis populi electio fuit, verborum geminatione usus est. Iam vero pluralis *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις* plane absurdus est. An fieri potuit ut compluribus contionibus huius orationis

---

[11]) *κατατάσσειν* apud oratores Atticos tribus locis occurrit, Lys. XIII, § 79 et 82 = in aciem inserere, et Dem: 58, 17, ubi ad rem nummariam spectat. Ita ut sit aliquem destinare vel deputare ad aliquam rem, *κατατάσσειν*, quantum video, apud nullum scriptorem Atticum invenitur, sed cf. Polyb. 3, 33, 12 *τινὰς δ εἰς αὐτὴν Καρχηδόνα κατέταξεν* i. e. Carthaginem deputavit. *τάσσειν* similiter saepius usurpatur (cf. Isocr. 5, 151; 12, 146; Dem. 19, 69). *προχειρίζεσθαι* uno loco Isocratis VIII, 122 proxime accedit ad notionem eligendi, sed ne hoc quidem loco de populi *χειροτονίᾳ* sermo est, de qua ante Polybium nemo verbum usurpasse videtur cf. Polyb. 1, 11, 3; 2, 43, 1; 3, 100, 6 et 106, 2; 6, 58, 3 et 4.

auctor patronus eligeretur? Nonne una sufficiebat? Itaque qui orationem genuinam esse tenebunt, non poterunt non ad coniecturam refugere et scribere *ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ* (i. e. in illa contione, qua patronos creastis). Equidem cum tota res iam summam moveat suspicionem, novum hoc indicium rhetoris putaverim, atque eo minus verba mutaverim, cum eadem saepius etiam in oratione inveniantur et studio quodam ab auctore captata videantur (cf. § 47, § 41, 42, 64). Atque, iniuriam nos auctori non facere, si ei tales ineptias imputemus, hoc nonnullis aliis erroribus in iure Attico tractando commissis demonstratur, quos mihi liceat nunc exponere.

§ 27 verba leguntur: *ἀλλ' ὑμεῖς αὐτοὶ πάντων ἄρτι κληρουμένων Ἀθηναίων, καὶ πάντων εὖ οἶδ' ὅτι βουλομένων εἰς τοῦτο λαχεῖν τὸ δικαστήριον, μόνοι δικάζεθ' ἡμῖν. διὰ τί; ὅτι ἐλάχετε, εἶτ' ἀπεκληρώθητε· ταῦτα δὲ οἱ νόμοι λέγουσιν.* Dubitaverunt viri docti, quomodo explicanda essent verba *ὅτι ἐλάχετε, εἶτ' ἀπεκληρώθητε.* Reiskius cogitavit de sortitione et subsortitione, sed *ἀποκληροῦσθαι* semper valet sorte eligi (cf. Andoc. 1, 82; Lys. 22, 16; 26, 6; Aesch. 1, 33; 3, 13; Thuc. 8, 70; Plat. Legg. VI, 763 e), et de subsortitione *ἐπιλαγχάνειν* est verbum proprium (cf. Aesch. 3, 62; Dem. 58, 29, Harpocr.); repugnat etiam particula *εἶτα*, quae demonstrat, ad eosdem utrumque verbum esse referendum et duas partes electionis intelligendas esse, quarum una (*λαχεῖν*) alteram (*ἀποκληροῦσθαι*) praecedat. Taylorus et Schaeferus censuerunt *λαχεῖν* esse 'sortes ducere, quod omnium, *ἀποκληρωθῆναι* sortibus vincere, quod paucorum'. At quaero num unquam *λαχεῖν* significare possit 'sortes ducere' pro 'sorte aliquid nancisci'. Iam vero paullo ante legimus *εἰς τοῦτο λαχεῖν τὸ δικαστήριον* (sorte eligi in hoc iudicium), et saepius etiam in hac oratione vocabulum occurrit, numquam tamen simplici notione sortiendi (cf. §§ 11, 23, 26, 30, 83). Ac ne ad sententiam quidem quadrat interpretatio Taylori. Nam auctor dicit, omnes Athenienses sortes duxisse, sed paucos (*ὑμεῖς μόνοι*) iudicum munere fungi, et quaerit *διὰ τί;* Itaque de his paucis sermo est in verbis sequentibus, et notio quaedam inesse debet, qua iudices huius litis distinguantur a ceteris, qui sortes duxerunt.

Duas autem diversas sortitiones iudicum, ad quas Matthiaeus (cf. De iudiciis Atheniensium, in Miscell. philol. II p. 253) et Schoemannus (De sortitione iudicum ap. Ath. p. 26 not.) verba

rettulerunt, ne fuisse quidem Athenis, nunc pro certo scimus post Fraenkelii praeclaram commentationem (Ueber die Attischen Geschworenengerichte). Quod etiamsi nesciremus, nemo posset comprobare, *λαχεῖν* et *ἀποκληροῦσθαι* ullo loco eam habere significationem, ut illud ad priorem, hoc ad alteram sortitionem pertineret.

Quid igitur huic loco faciemus? Emendationem probabilem non video. Itaque nihil restat nisi ut concedamus rhetorem in meras nugas incidisse. Et verba sunt ea, ut operam nos perdituri simus, si conemur indagare, quam sententiam auctor ipse iis supposuerit. Nam verba quaedam iuris Attici propria quaesivisse, sententiam omnino non curasse videtur.

Simile quid ei accidit in § 21. Dubium non est (quod iam Dobraeus vidit), quin duos locos Midianae inter se simillimos (§ 101 et 185) imitari voluerit. cf. *ἐράνου πληρωταί* et verba: *ἔρανος γάρ ἐστι πολιτικὸς καὶ κοινὸς πανθ᾽ ὅσα, ταξάντων τῶν νόμων ἕκαστος ἡμῶν ποιεῖ* cum Mid. 101: *ἐγὼ γὰρ οἶμαι πάντας ἀνθρώπους φέρειν ἀξιοῦν παρ᾽ αὑτῶν εἰς τὸν βίον αὑτοῖς ἔρανον παρὰ πάνθ᾽ ὅσα πράττουσιν.* Sed Demosthenis sententiam omnino non intellexit falsarius. Quaeritur praecipue quid sit *ἐράνου πληρωτής*. Loci Midianae cohaerent cum more quodam, qui late patuisse videtur in civitate Atheniensi, ut, si quis in calamitatem repente incidisset vel aere alieno obrutus esset, ab amicis sive ipse sive per alium stipes sibi colligeret ad necessitudinem sublevandam (*ἐράνους* vel *ἔρανον συλλέγειν* vel *συλλέξασθαι*). Quae interdum gratuito datae sunt (cf. Dem. 53, 8), plerumque autem ea condicione, ut postea, rebus in meliorem statum redactis, redderentur (cf. Theophr. Char. 17, Lys. fr. 2, § 4 S., Isae. 11, 43; Arist. Ach. 615, Lys. 651, Lyc. 22). Illiberalitati autem et inhumanitati tribuebatur, si quis amico petenti auxilium recusaret vel invitus ferret (cf. Theophr. char. 22 et 15; Dem. 45, 69).[12])

---

[12]) cf. etiam Antiph. 2, *β*, 9 et 12; Dem. 53, 11 et 12; 59, 31; Epist. 3, 34; Aesch. 2, 41. Non possum facere cum Schoemanno (Att. Process p. 542 sq. Alterth. p. 384), Boeckhio (Staatsh. p. 346), Westermanno (ad Dem. XVIII, 312), Lüdersio (De collegiis artif. scen. p. 7), qui ex his locis genus quoddam societatum derivant conditum, ut sodales inter se adiuvarent. Omnibus locis agitur de stipe voluntaria, quam solvere hominis benevoli est. Cum sodalitatibus convivarum (*ἐρανισταί* vel *συνθιασῶται*) huic rei

His praemissis facile intelligemus simile illud praeclarum, quo Demosthenes usus est. Ea est sententia principalis, ut ostendatur, Midiam indignum esse cuius aliquem misereat, quia ipse adversus alios numquam misericordem se praestiterit. Scitissime autem Demosthenes, quaecunque homines per vitam faciunt, cum stipibus comparat, quae amicis periclitantibus conferuntur. Varias dicit stipes a singulis hominibus pro morum diversitate conferri, alios benignitatem et humanitatem erga ceteros praestare ac multorum pericula sublevare. Quibus ceteros quoque in discrimen vocatis eandem stipem resolvere oportere. Aliorum autem stipem esse petulantiam et superbiam et inhumanitatem, itaque indignos esse, quibus ceteri misericordiam tribuant. Et inter hos, non inter illos Midiam esse numerandum. (cf. sententias similes Lyc. 143, et Dem. 59, 8; huius orationis § 58 et 81, cf. etiam Isocr. 10, 2 et 14, 57). Perspicuum est et ex toto sententiarum conexu et ex verbis quae sunt in extrema § 101 (*σὺ δὴ πληρωτὴς τοιούτου γεγονὼς ἐράνου σεαυτῷ τοῦτον δίκαιος εἶ συλλέξασθαι*) *ἐράνων πληρωτάς* significare eos, qui stipes (amicis petentibus) conferunt. Quae interpretatio comprobatur et notione verbi *πληροῦν* (= solvere) et Harpocrationis glossa: *πληρωταὶ ἐράνου οἱ ἀποδιδόντες τὸν ἔρανον τοῖς ἤτοι λαχοῦσιν ἢ ἐωνημένοις. εἶεν δ' ἂν οὗτοι* (i. e. *οἱ λαχ. ἢ ἐων.*) *οἱ παρ' ἡμῖν καλούμενοι ἐρανάρχαι*, quae hac una in re minus quadrat ad locos Midianae, quod Harpocration de perpetua societate cogitat, in qua secundum legem quandam stipes ab eranarcha colliguntur. Hesychii glossae: *πληρωτής· ἐράνου συναγωγός* (i. e. is qui colligit eranum = eranarcha, nisi forte vertendum est: is, qui una (cum ceteris) stipem solvit, quod Holstius l. c. fecit, equidem facere non audeo) nulla fides est tribuenda. Nam sine dubio ex iisdem locis, quos nunc habemus (addito loco ex oratione Dinarchi amissa cf. Harpocr. glossam), derivata est. Et facile fieri potuit, ut grammaticus aliquis posteriorum temporum, cui vox ignota erat, cum Demosthenis locos legeret, putaret, *οὓς συλλέγουσί τινες* et *ὧν πληρωταὶ γίγνονται* esse eosdem, praesertim cum Aristogitoniae locus hanc solam interpretationem ferre videretur.

---

nihil commune est praeter verbum *ἔρανος*, quod de stipe collaticia cuiuslibet generis usurpatur. Rectius de his rebus disseruisse mihi videtur I. de Holstius, De eranis veterum Graecorum imprimis ex iure Attico, Lugd. Batav. 1832 p. 73 sq.

Nam videamus iam, quomodo falsarius simile illud depravaverit. Dicit, iudices debere, quasi sedeant ἐράνου πληρωταί, eos qui legibus pareant, tamquam plenam salutis stipem patriae ferentes honorare et laudare, eos autem, qui non pareant, punire. Nam stipem esse publicam et communem, quaecunque unusquisque civium legum iussu faciat. Perspicuum est, haec verba non ad stipes illas voluntarias referenda esse, sed ad eas, quae in societate certis legibus ordinata solvuntur. Tota civitas comparatur cum tali societate legesque sunt tanquam erani pacta et constituta. Haec omnia nullam praebent offensionem. Nam verbum ἐράνου πληρωτής etiam in societatibus usurpari posse nemo erit qui neget. Significatur autem hoc vocabulo quisquis stipem confert, i. e. quodvis membrum sodalitatis. At hunc locum si legimus, nonne perducimur ad eam sententiam, ut putemus ἐράνου πληρωτάς esse collegium quoddam a sodalibus ideo constitutum, ut discerneret, num recte sodales officio satisfacerent, atque eos, qui non paruissent pactis, puniret? Nam nisi totum simile ineptum esse putemus, eodem munere, quo iudices inter cives, ἐράνου πληρωταί inter omnes sodales fungi debent. Itaque principes sodalitatis hoc loco significantur. Sed primum extra omnem probabilitatem positum est, verbum tam diversas significationes in se coniunxisse. Iam vero auctor ex Demosthene verbum sibi assumpsit et studuit exprimere similem sententiam. Itaque efficitur, eum omnino non intellexisse, quid valeat ἐράνου πληρωτής.

De nonnullis aliis erroribus melius erit tum agere, cum vitam Aristogitonis tractabimus, sed iam ex his, quos attuli, apparet, huius orationis auctorem iuris Attici imperitissimum fuisse. Atque vitia, quae admisit, ea sunt, quae homini Attico, nedum oratori, nullo modo imputare possimus. Quod si verum est, etiam ceterae res, quae in hac oratione singulares sunt, in suspicionem cadunt, etiamsi error certis argumentis convinci nequeat. Velut nullo alio loco nisi h. o. § 49 ἐπιστάται τῶν κοπρώνων commemorantur. Quis nobis spondebit, re vera fuisse Athenis talem magistratum? Nec magis credam (quod etiam Gilbertus verum putat, cf. l. c. p. 265), Areopagum interdum in porticum regiam convenisse. cf. § 23 τὸ τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλήν, ὅταν ἐν τῇ βασιλείῳ στοᾷ καθεζομένη περισχοινίσηται, κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἐφ' ἑαυτῆς εἶναι. Fortasse auctor audivit, porticum regiam fuisse sedem illius qui vocabatur ὁ ἄρχων βασιλεύς et qui Areopago prae-

erat, atque ad concilium ipsum transtulit quod tantum ad praesidem spectabat. Nam causas capitales alio loco atque in ipso colle Martis actas esse cogitari nequit. Quod si scivisset auctor, certe hoc loco, quo de conciliis Areopagi tanquam de more vetusto et sacro loquitur, collem Martis pro porticu posuisset. De poletis quoque nugari mihi videtur § 57 et 58. Nam si eum audimus, poletarum fuit, si quis peregrinus ad eos duceretur, qui tributum non pependisset, eum indicta causa vendere (cf. Boeckhium l. l. p. 209), vel hoc si nolumus, statuendum est cum Meiero (De bonis damnatorum p. 41 sq., et Att. Process p. 53) et Schoemanno (Gr. Alt. I, 442 sq.), poletas praefuisse iudiciis in causis tributi non soluti. Sed cum constet, ceteras omnes lites ad peregrinos pertinentes a polemarchis instructas esse, nullum autem exemplum extet, quo comprobetur, poletas praesides iudicii alicuius fuisse, hanc quoque actionem polemarchis tribuendam esse verisimile est. Condemnatos autem, ut in litibus *ἀποστασίου* et *ἀπροστασίου*, sic etiam in hac lite poletae sine dubio vendebant.[13])

[13]) Primus vidit quantum scio, munera poletarum et polemarchi hoc loco esse confusa, Wilamowitzius, qui in indice lect. (Gryphisw. 1879/80) rem paucis tetigit.

§ 2.

De vitae morumque Aristogitonis descriptione.

Magna pars orationis (§ 36—68) in vita Aristogitonis describenda versatur, atque vita publica eius §§ 36—53 (cf. etiam § 74 et 83 sq.) depingitur. Vehementer haec descriptio Weilio (cf. l. c. p. 8 sq.) placuit, qui tam certa signa genuitatis in ea inesse iudicavit, ut *negligi tantum* ab iis potuissent, qui opinione praeiudicata ducti *ad orationem* accessissent. Dicit Athenienses, quamquam nemo vir bonus et honestus fuerit, quin calumniatoris et delatoris munus reformidaret, tamen id genus homines utiles reipublicae saluti duxisse, ratos, semper eos instare oratoribus et repugnare, ne nimia fieret eorum potentia. Itaque iudices semper propensos fuisse ad sycophantam quamvis nefarium, tanquam malum necessarium, absolvendum et servandum. Hanc opinionem summa cum arte hac oratione iis eripi, nam exemplis ostendi, Aristogitonem non plebis patrocinium contra oratorum potentiam suscepisse, immo vero multos homines privatos in capitis periculum adduxisse, et, oratores si accusasset, pecunia accepta causam destituere solitum esse. Hanc argumentationem tam disertam, tam vividam, tam aptam ad forum esse, ut a rhetore eam fictam esse cogitari nequeat. Sic fere Weilius. Quae sententiae si tam claris et dilucidis verbis, quam ille eas nobis proponit, in oratione legerentur, plane facerem cum viro doctissimo oratorumque Atticorum peritissimo, et, si minus totam orationem, tamen hanc partem genuinam putarem. Sed Weilii magis quam orationis sententiae mihi videntur. Inspiciamus enim paullo accuratius, quae auctor de Aristogitone dicat. Sic incipit § 36, scire se, illum, recta et iusta via defensionis evitata nihil aliud nisi obiurgaturum, calumniaturum, polliciturum se velle in iudicium vocare. Sed haec omnia ei iam nihil valere. Septies

enim per accusationes publicas, bis in rationibus reddendis se ab illo in ius vocatum, semper et deorum et civium auxilio servatum esse, illum autem nihil unquam veri protulisse. Immanis fere et incredibilis est hic numerus accusationum, quas Aristogiton huic oratori intentasse dicitur, et etiamsi numquam ei contigit illum convincere, tamen semper plus quintam partem suffragiorum tulisse videtur. Quam si in una ex prioribus causis non tulisset, amisso iure in futurum accusationem eiusdem generis instituendi ceteras intendere non potuit. Sed accipiamus hunc numerum! Hoc vero nostro iure ex eo colligemus, neminem posse magis vexari quam orator ab hoc sycophanta vexatus sit, qui, quidquid potuit, temptavit, ut illius auctoritatem minueret, neque eo, quod inanes fuerunt omnes impetus, deterritus est, quominus iterum iterumque illum lacesseret. Num quis acrior plebis in oratorem praepotentem propugnator esse potest? Neque huius unius inimicus fuit, cum ceteris oratoribus parceret. Nam verba, quae legimus initio § 36: *λοιδορούμενος καὶ διαβάλλων καὶ ὑπισχνούμενος κρινεῖν εἰσάξειν παραδώσειν*, spectant non solum ad Demosthenem (si hunc supponimus orationis auctorem), sed etiam ad Lycurgum, alios. cf. § 38. *τὸν ῥήτορα, ᾧ ἐπολέμει, οὐδὲ τὸν Λυκοῦργον, οὐδὲ τοὺς ἄλλους, περὶ ὧν αὐτίκα δὴ τὰ πολλὰ ἐρεῖ.* Et legimus in § 47, Hegemonem ab eo esse delatum, Demadem saepius accusatum, Democlem quoque delatum, multa alia similia facta (*ἄλλα μύρια, ὧν ἐμοὶ μὲν ἔργον ἁπάντων ἐστὶ μνησθῆναι*). Has quidem omnes accusationes, pecunia accepta, destituit, sed probatur iis saepissime eum in oratores invectum esse, ut pecuniam iis extorqueret. Quam si dare recusabant, in iudicium eos adducebat.

Nunc legamus simile illud conclamatum, quod est § 40; quo Aristogiton comparatur cum cane, sed eo, qui lupos (i. e. oratores) non mordeat, oves (i. e. privatos) ipse comedat: *τί οὖν οὗτος ἐστίν; κύων νὴ Δία, φασί τινες, τοῦ δήμου. ποδαπός; οἷος, οὓς μὲν αἰτιᾶται λύκους εἶναι, μὴ δάκνειν, ἃ δέ φησι φυλάττειν πρόβατα, αὐτὸς κατεσθίειν. κτά.* Comparemus porro verba, quae sunt § 41: *λοιδορούμενος γὰρ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις — δίκην λαμβάνει συκοφαντῶν, αἰτῶν, εἰσπράττων ἀργύριον, οὐχὶ μὰ Δία τοὺς λέγοντας (οὗτοι μὲν γὰρ ἐπίστανται τούτῳ διαβαπτίζεσθαι), ἀλλὰ τοὺς ἰδιώτας καὶ τοὺς ἀπείρους.* Haec num consentiunt cum iis, quae § 36 et 37 et 47 narrantur? Inconstantiam autem tantam in rebus narrandis, num oratori genuino tribuere possumus?

Sed rhetori § 36 ante oculos versabantur calumniae, quas rei accusatoribus loco defensionis ingerere solerent. Has falsas esse ut comprobaret, saepissime se ab illo in ius vocatum, sed semper absolutum finxit. § 38 in mentem ei venit discrimen, quod fuit Athenis inter oratores et homines privatos, contendit oratores ab illo, ne ipsi detrimentum inferrent, non esse vexatos, sed tantum homines privatos. § 47 ubi exempla afferenda erant causarum ab illo destitutarum, oratores non minus quam privatos, ne accusarentur, pecuniam illi dedisse dixit. Itaque ne ipse quidem memoria tenuit, quae antea dixisset, sed diverso conexu sententiarum ductus diversa mentitus est.

'At duobus ultimis annis nullum oratorem accusavit (cf. § 38 et 40)!' At omnes accusationes, quae § 47 afferuntur, num ad tempora priora referri possunt? Verba, quae usurpantur, videntur indicare, auctorem a temporibus prioribus ad recentiora descendere cf. *τὴν καθ' Ἡγήμονος εἰσαγγελίαν μέμνησαι ὡς ἀπέδοτο· τὰς κατὰ Δημάδου γραφὰς οἶσθ' ὡς ἐξέλιπεν. τὸν ἐλαιοπώλην* (itaque hic fuit homo privatus, ceteri tres oratores) *Ἀγάθωνα (ταυτὶ γὰρ τὰ πρῴην) — λαβὼν ὁτιδήποτε, παρὼν ὅτ' ἠφίετο, ἄφωνος ἐγένετο. τὴν κατὰ Δημοκλέους εἰσαγγελίαν ἀνασείσας ποῖ ἔτρεψεν;* Tamen si duobus ultimis annis nullum oratorem accusavit, recedendum est ad tempora quae fuerunt ante litem Hieroclis et delationem Hegemonis. Nam vidimus Aristogitonem ante illud biennium quinque annos continuos non in publicum prodiisse, cum in ipsa lite Hieroclea capitis deminutione in quinquennium esset multatus. Sed Agathonis causam ipse auctor dicit nuper actam esse, et mirus sane hic est ordo rerum, ut primo loco ponatur lis, ad quam ipsa haec accusatio pertinebat, deinde inter duas, quae iam ante illam institutae erant, inseratur alia, quae plus septennio post has omnes acta erat. In oratore genuino vix haec confusio temporum explicari potest, in hoc rhetore facillime explicatur. Nam cum scriberet § 47, iam dudum oblitus erat, quae antea de duobus annis dixisset. Suspecta autem mihi omnia haec exempla, excepta nimirum Hegemonis delatione, videntur. An verisimile est, Aristogitonem in una causa Hegemonis mille drachmas non solvisse, in ceteris omnibus, quas destituit, solvisse? Nam in aerario publico nulla alia multa mille drachmum nisi ea, quam propter Hegemonis causam destitutam debebat, inscripta erat.

Sed licet duobus ultimis annis nullum oratorem in ius vocaverit, nonne hoc ipsum silentium post assidua illa bella, suspicionem movet? Nam ante illud biennium et Demosthenem eiusque amicos, et Hegemonem et Demadem et Democlem et multos alios accusationibus vexavit, duobus autem ultimis annis illos plane conquiescere passus est, sed et Phocidem et opificem et sutorem (cf. § 38) et Agathonem et innumerabiles fere alios homines privatos accusavit, atque id, quamquam oratores semper impune lacessivit, Hieroclem autem, hominem privatum, cum in capitis periculum adduxisset, ipse graviter punitus est. Haec nonne speciem mendacii prae se ferunt?

Iam vero scriptor ex hoc silentio argumentum capit, quo gravissime Aristogitonem perstringere sibi videtur, dignum quod consideremus. Sic argumentatur § 38, duobus ultimis annis nec se nec Lycurgum neque alium quemquam eorum, quibus calumnias ingesturus sit, ab illo esse accusatum. Propter utrumque autem eum dignum esse qui interficiatur, et, si habuerit crimen in se quod deferret, sed ipsos omiserit, privatos aggressus sit, et, si non habuerit, sed ad iudices decipiendos talia nunc ementiturus sit. Totum dilemma est ridiculum. Nam spectat ad verba, quae omnino nondum facta erant ab Aristogitone. Non hunc in modum oratores genuini argumentum ex silentio quod vocatur adhibent, sed si quis quem accusat delictorum multo ante commissorum, obiciunt ei, cur, si vera sint crimina, tam diu tacuerit. Velut Demosthenes sic perstringit Aeschinem (cf. 18, 13 sq.), atque verba hoc loco similia sunt iis, quae apud personatum Demosthenem leguntur. cf. 18, 13 *ἀλλ᾽ ἐφ᾽ οἷς ἀδικοῦντά με ἑώρα τὴν πόλιν* — et § 14 *καὶ μὴν εἴ τι τῶν ἄλλων — ἀδικοῦντά με ὑμᾶς ἑώρα* cum 25, 38 *εἶδεν ἀδικοῦντας τὴν πόλιν, ἐμὲ δ᾽ οὐχ ἑώρα.* cf. etiam 18, 15. *νῦν δ᾽ ἐκστὰς τῆς ὀρθῆς καὶ δικαίας ὁδοῦ καὶ φεύγων τοὺς παρ᾽ αὐτὰ τὰ πράγματα ἐλέγχους* cum 25, 36. *οἶδα τοίνυν ὅτι τὴν μὲν ὀρθὴν καὶ δικαίαν ὁδὸν τῆς ἀπολογίας οὗτος φεύξεται.* Itaque hunc locum imitatus est rhetor, § 37 autem ad exemplum loci, qui est Dem. 18, 249, expressam esse, iam dudum viri docti viderunt. Cf. 18, 249 *γραφὰς εὐθύνας εἰσαγγελίας* cum A 25, 37. *ἑπτὰ γραφὰς, — εὐθύνας — δίς;* et verba *μάλιστα μὲν διὰ τοὺς θεούς, δεύτερον δὲ δι᾽ ὑμᾶς καὶ τοὺς ἄλλους Ἀθηναίους ἐσωζόμην* cum

25, 37. καὶ ἔχω τοῖς θεοῖς καὶ πᾶσιν ὑμῖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τοῖς σώσασί με πολλὴν χάριν.[14])

Sed redeamus ad Aristogitonem et quaeramus, num quid de litibus quas privatis intenderit, ex oratione erui possit. Disserit uberius de iis § 83 et 84. Compluriā ex hoc loco discimus, primum in omnes reos capitis poenam eum proposuisse. cf. οἱ σεσυκοφαντημένοι, οἷς οὗτος θανάτου πᾶσιν ἐτιμᾶτο ἐν τουτοισὶ τοῖς δικαστηρίοις. Omitto Hieroclem et Agathonem ab eo in contionibus accusatos esse. Sed quaero num ad illud πᾶσιν, quod ipsa collocatione graviorem etiam vim accipit, quadrent verba quae sunt § 74: πόθεν δ', οἷς οὗτος θανάτου τιμᾶται καὶ δεσμοῦ περιιὼν ἐν τῷ δικαστηρίῳ, οἱ μὲν τὰς ψυχὰς οἱ δὲ τὸ μὴ δεινὰ πεπονθέναι κομιοῦνται;

Porro discimus ex § 83 omnes quos ille accusaverit, esse absolutos.[15]) Sed cur tandem § 38 Phocidem miserum appellat, nisi ut significet, eum per Aristogitonem gravissimo damno esse affectum? Vix puto quemquam aliter verbum accepturum. Immo vero nemo adiectivum Phocidi additum non supplebit etiam ad nomina quae sequuntur, praesertim cum verba εἶδεν ἀδικοῦντας τὴν πόλιν sententiam confirment, re vera eos aliquid mali commisisse.

Iam vero in his omnibus litibus ne quintam quidem partem suffragiorum tulit. cf. verba § 83: τούτους ὑμῶν οἱ λαχόντες — ἔσωζον, — καὶ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων οὐ μετεδίδοσαν τούτῳ. Itaque in omnibus mille drachmis multatus est. Quotiens hoc factum putabimus? Omnes autem multas videtur statim persolvisse, neque enim nova debita publica duobus ultimis annis, quibus privatos illos accusavit, in se contraxit. At clamat totus locus se a rhetore esse elucubratum. Aristogitonis crudelitatem et inhumanitatem sibi proposuit depingendem. Hac de causa

---

[14]) Similitudinem non casu esse effectam eo quoque confirmatur, quod uterque verbo κρίνειν utitur, sed falsarius constructione inaudita, nam γραφὴν κρίνειν τινὰ nullo alio loco inveni (cf. Aesch. 3, 52 ἀπ' εἰσαγγελίας αὐτοῦ κρινομένου). Itaque hoc quoque verbum ex Demosthene sumpsisse, sed falso adhibuisse videtur.

[15]) Cobetus, qui in Miscell. crit p. 565 sq. nonnullos locos orationis emendare conatus est, delet verba καὶ τοὺς ὑπὸ τούτου συκοφαντουμένους ἀπεψηφίζοντο. Non nego ea superflua esse, tamen retinenda puto, nam eodem ordine, ita scilicet ut nihil superfluum sit, apud D. 18, 250 extant ὅτ' ἀπεψηφίζεσθέ μου καὶ τὸ μέρος τῶν ψήφων τοῖς διώκουσιν οὐ μετεδίδοτε.

ab omnibus eum capitis supplicium petentem, hac de causa in omnibus litibus eum ne quintam quidem partem suffragiorum ferentem facit. Nam aptissima sunt haec, quibus et accusatoris atrocitas et iudicum humanitas adumbretur. cf. § 84 *ἀλλ' ἥ γε τούτου πικρία καὶ μιαιφονία καὶ ὠμότης παρῆν καὶ ἐξητάζετο.* Hac de causa inducit etiam liberos et matres reorum flentes et supplicantes.[16]) Iuris quoque peritiam iactat, sed ineptit. Nam dicit § 83 Aristogitonem capitis supplicium proposuisse *καὶ ταῦτα πρὶν τὴν πρώτην ψῆφον διενεχθῆναι*, tanquam hoc crudelius etiam esset, quam si post prima suffragia lata proposuisset. Scit igitur, in omnibus litibus, de quibus non certa poena legibus constituta erat (*ἀγῶνες τιμητοί*), bis a iudicibus suffragia esse lata, primum ut decernerent, utrum reus noxius esset necne, deinde, si condemnatus erat, ut poenam statuerent. Sed nescit, accusatores semper in ipso libello poenam quam proponerent inscripsisse[17]) et in oratione quae ante prima suffragia lata habebatur, commendasse. Tamen ipse petit § 92a iudicibus, ut si minus supplicium, tamen multam gravissimam Aristogitoni irrogent. cf. verba *μάλιστα μὲν αὐτῷ θανάτου τιμῆσαι, εἰ δὲ μή, τοσοῦτον ἐπιθεῖναι τίμημα χρημάτων ὅσον μὴ δυνήσεται φέρειν.* Itaque ipse commisit, quod Aristogitoni obicit.

Haec de Aristogitone oratorum et privatorum inimico auctor narrat. Sed magistratus etiam in descriptione sua praeterire noluit. cf. § 49 et 50. Novum exemplum illius impudentiae affert. Ne delatum quidem eum destitisse in contionibus clamitare, calumnias spargere, minari. Velut in praetores nuper eum invectum esse, quia ei pecuniam poscenti non dedissent, et magistratus sorte electos esse calumniatum, pecuniam poscentem et quasvis molestias iis afferentem. Hic quoque locus quodammodo contrarius est § 41. An praetores, archontes, ceteri magistratus homines privati et imperiti sunt? Praeterea ineptum est cogitare, omnes magistratus sorte electos, qui multi fuerunt et varii Athenis, eum insectatum esse atque ab omnibus pecuniam

---

[16]) Ex Demosthene sibi hanc sententiam surripuit ita ut pro matre Timarchi posuerit matres *τῶν κρινομένων ἐνίων*, quod verbum totius sententiae gravitatem attenuat. cf. D. 19, 283 *οὐδ' ἐλεεῖν ὑμᾶς οὔτε τὴν μητέρα δεῖν τὴν Τιμάρχου γραῦν γυναῖκα, οὔτε τὰ παιδία.*

[17]) *τίμημα ἐπιγράφεσθαι* est verbum proprium huius rei cf. Aesch. 1, 16 verbum sine dubio recte usurpatur, etsi lex falsa est. cf. etiam Dem. 29, 8; Din. 2, 12. Meier—Schoemann l. l. p. 171 sq. et 724 sq.

exegisse cf. verba § 50 *τὰς δὲ κληρωτὰς ἀρχὰς σπαράττων, αἰτῶν, εἰσπράττων ἀργύριον, τί κακὸν οὐ παρέχων;*

Philocratem adhuc omisimus, de quo § 43—48 verba fiunt, sed operae pretium erit hunc quoque locum paucis attingere. Totus eo spectat, ut demonstretur, ne iis quidem, quibus placeat Aristogitonis impudentia, cum idoneus iis videatur ad pericula aliis molienda, utilem illum esse, quippe qui pecunia accepta causas destituere soleat. Exemplum talium hominum, qui faveant illi, Philocratem Eleusinium ponit. Quaerit ex eo, cur illum acuat, qui omnes lites vendat. (cf. § 46 *εἰ δὲ — πάνθ' ὅσα πώποτ' ἔπραξεν ἐπώλει, τί τοῦτον ὦ μάταιε ἀκονᾷς.*) Neque enim coquo utilem esse cultrum qui non secet, neque ei, qui aliis velit lites intendere, utilem esse sycophantam qui omnia vendat. Deinde exempla affert causarum quas ille destituerit § 47, tum pergit *σὺ δ' εὖ οἶδ' ὅτι καὶ τὰ ἀντίγραφα αὐτῶν ἔχεις, ἐργολαβῶν αὐτῷ.* Cum Philocrates descriptos libellos habere dicatur, eius mandatu Aristogiton omnes illas accusationes instituisse et invito eo destituisse videtur. cf. cum totum sententiarum conexum tum verba quae sequuntur. § 48. *τῶν μὲν γὰρ ὁμοίων προδότης.* Sed *ἐργολαβεῖν τινι* est 'alicui operam suam mercenariam locare' (cf. Reisskii Ind. s. h. v.); itaque ex his verbis concludendum est, Philocratem mandatu Aristogitonis lites illas intendisse. Tale quid oratori accidisse cogitari non potest, sed rhetor perductus est ad has ineptias sententia, quam initio § 47 legimus: *ἀλλὰ μὴν ὅτι τοιοῦτος οὗτος ἐστίν, εἰδότι σοι φράσω.* Hanc in fine paragraphi accuratius explicare conatur (cf. *σὺ δ' εὖ οἶδ' ὅτι*), et arripit sibi nonnulla verba quae apud oratores genuinos legit[18]), cum non videat ea hoc loco a toto sententiarum conexu abhorrere, deinde redit ad eas sententias, in quibus antea versatus est.

Satis clare ex his quae attuli patere mihi videtur, totam hanc descriptionem quamvis accommodata ad forum primo quidem obtutu videatur, non e rerum veritate haustam, sed in rhetoris cubiculo excogitatam esse.

Nec minus suspecta est vitae privatae descriptio, quae extat §§ 54—68 et 77—80. Quae quibus in rebus discreparet ab iis

---

[18]) ad *ἀντίγραφα* cf. Andoc. 1, 76; Lys. 23, 7; Dem. 45, 2; 46, 2; 48, 48; 58, 18. ad *ἐργολαβεῖν* Dem. 32, 11 *ἠργολάβηκεν αὐτὸς καὶ κατεπήγγελται τουτῳί;* Dem. 22, 49 = 24. 161; 58, 6; Aesch. 1, 173; 2, 112; 3, 33.

quae in Dinarchi oratione altera leguntur, iam Maetznerus in editione Dinarchi monuit. Quamquam hoc non sufficit ad suspicionem movendam, quod multa in hac oratione copiosius descripta sunt quam apud Dinarchum. Nam ex Hyperidis vel Lycurgi orationibus sumpta esse possunt. Ac Lycurgum quidem de vita Aristogitonis disputasse testesque protulisse, ex hac ipsa oratione elucet (cf. § 54 *ὥσπερ ἠκούσατε Φαίδρου* et § 55 *ὥσπερ ἀρτίως ἠκούσατε τῶν μαρτύρων*). Sed rhetor dicit se additurum nonnulla eius narrationi (cf. § 54 *δεινῶν γὰρ ὄντων καὶ οὐκ ἐχόντων ὑπερβολήν, ὧν ἠκούσατε ἄρτι λέγοντος Λυκούργου, τὰ λοιπὰ ἐνάμιλλα τούτοις καὶ τῆς αὐτῆς φύσεως εὑρεθήσεται*). Itaque ne apud Lycurgum quidem, quae profert, legebantur. Sunt autem talia, ut non difficile sit falsarium deprehendere. Velut patrem Aristogitonis ab eo Eretriae in carcere esse destitutum, Lycurgus narraverat Phaedrique testimonium attulerat. In hac oratione additur (§ 54) Aristogitonem ipsum patrem mortuum non sepeliisse neque iis qui fecissent, mercedem solvisse, sed litem adeo intendisse. Apud Dinarchum legimus § 18 *τοσοῦτον δ' ἀπολέλοιπε τοῦ πατρὸς μνῆμά τι ἔχειν ὦ Ἀθηναῖοι δεῖξαι, ὥστ' οὐδ' ἐν Ἐρετρίᾳ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τελευτήσαντος ἐκεῖ τὰ νομιζόμενα ἐποίησεν αὐτῷ.* Itaque hoc verum est, Aristogitonem patris funeri iusta non fecisse, sed quod dicit falsarius, litem insuper iis, qui sepeliissent, ab illo esse intentam, hoc nonne per se ipsum omni probabilitate caret?

Similem in modum rei, quam ex Lycurgo sumpsit, § 55, addit narratiunculam de sorore Aristogitonis, quam nescio an ad similitudinem loci Demosthenici, qui est 24, 303, expresserit. cf. 25, 55 *τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτοῦ οὐχ ὁμοπατρίαν μὲν οὖσαν, θυγατέρα δ' ἐκείνης ὁπωσδήποτε γενομένην (ἐῶ γὰρ τοῦτο), ἀλλ' ἀδελφήν γε ἐπ' ἐξαγωγῇ ἀπέδοτο* cum 24, 203 *ὃς οὖν τὴν μὲν ἀδελφὴν ἐπ' ἐξαγωγῇ φήσει μὲν ἐκδοῦναι πέπρακε δὲ τῷ ἔργῳ.*

Deinde narrat (§ 56 – 57) fugam Aristogitonis ex carcere, quam ad fingendam suspicor eum ansam cepisse ex loco Dinarchi § 14 *ὃν — κατεψηφισμένον ὑπὸ τῶν πολιτῶν καὶ δεθέντα φυλάξαι οὔθ' οἱ ἕνδεκα δεδύνηνται οὔτε τὸ δεσμωτήριον κτά.* Quod si verum est, id eum fugit, quod Dinarchi verba ad tempus post accusationem Lycurgi spectant.

Maxime arrisit rhetori quod legit apud Dinarchum, furtum dici ab Aristogitone in carcere commissum esse (cf. Din. 2, 10 *κλέπτην, ὥς φασι, ληφθέντα τουτονὶ παρ' ἐκείνοις*) et excogitavit historiolam spurcam, quam vividis coloribus

§ 60 sq. depinxit. Quodsi Dinarchus dicit, illum ab iis, qui in carcere fuissent, omni commercio exclusum esse, falsarius nobis proponit ipsum decretum quo hoc constitutum sit, rem plane ridiculam, nisi forte putandum est hoc conventum tanquam populi decretum in tabulis incisum et conservatum esse. cf. Din. 2, 9 *τοιαῦτα τολμήσαντα ποιεῖν αὐτοῦ, ὥστ' ἐκείνους ἀποψηφίσασθαι μήτε πῦρ ἐναύειν τούτῳ μήτε συσσιτεῖν μηδένα μήτε θυσιῶν τῶν γιγνομένων κοινωνεῖν* cum 25, 61 *καὶ μετὰ ταῦτα ψηφίζονται περὶ αὐτοῦ ταῦτα οἱ ἐν τῷ οἰκήματι, μὴ πυρός, μὴ λύχνου, μὴ ποτοῦ, μὴ βρωτοῦ μηδενὸς μηδένα τούτῳ κοινωνεῖν, μηδὲ λαμβάνειν, μηδ' αὐτὸν τούτῳ διδόναι.* et § 62 *ἀνάγνωθι δὴ καὶ τουτὶ τὸ καλὸν περὶ αὐτοῦ δόγμα.*

Haec omnia non supra rhetoris indolem mihi videntur nec recte Blassium § 54—61 oratori adscripsisse putaverim. Quae deinde (§ 65) de matre liberta atque in lite *ἀποστασίου* condemnata narrantur, ideo suspicionem excitant, quod Dinarchus ne dubitare quidem videtur, quin Aristogiton legitime ad civitatem pervenerit (cf. Din. 2, 26 *ἢ στρατηγὸν ἢ ῥήτορα πολίτην*). Id quoque, quod fratrem dicit non solum eadem matre et eodem patre natum, sed etiam geminum illius esse, rhetorem redolet. (cf. § 79 *ἀδελφὸς δ' ἐστὶ τούτου ὁμομήτριος καὶ ὁμοπάτριος καὶ πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς δίδυμος*). Historiola vero de fratris cum Theoride Lemnia consuetudine (§ 79 sq.) manifesta rhetoris omnia amplificantis vestigia fert. (cf. *καὶ αὐτὴν καὶ τὸ γένος ἅπαν ἀπεκτείνατε*).

Sed vix operae pretium est, omnes res singulas diligentius expendere. Argumenta firmiora, quae genuitati orationis repugnant, inveniemus, si eius dicendi genus paullo accuratius considerabimus.

§ 3.

De dicendi genere orationis.

Nemini qui hanc orationem legerit non mirum videbitur, quam referta sit variis dicendi luminibus. Translationes audacissimae, asyndeta, polysyndeta, synonymorum coacervationes, paronomasiae, verborum geminationes, anaphorae, aliae figurae tam frequentes sunt, ut ceterarum orationum Demosthenicarum dictio in comparationem vocata simplex videatur et tenuis. Accedit, quod multis locis auctor non sua expromere, sed lumina cum ex aliis oratoribus tum ex Demosthene sibi conquirere videtur. Tamen haec per se ansam non praebent orationem foro Attico abiudicandi. Nam nimia vehementia verborum si cum gravitate sententiarum coniuncta est, admiranda magis est quam vituperanda. Ac ne in imitatione quidem illa haerendum est. Neque enim illis temporibus offensionem movebat, si quis ex aliorum orationibus, quod ad usum suum aptum erat, sibi assumebat. Dinarchus quidem totus fere est in aliis imitandis. Praeterea Cobetus recte monuit, plerosque locos huius orationis, in quibus hae similitudines inveniantur, continere sententias tritas omniumque oratorum communes. At si haec lumina interdum locis ineptis usurpata vel ita, ut absurda fiant, commutata inveniemus, si sub turba verborum saepius inutiles ambages vel meras ineptias deprehendemus, si loci nobis occurrent, quibus verba grandia, ita ut omni sensu careant, conglobata sunt, gravissima et certissima haec erunt falsarii argumenta. Nonnulla autem vitia huius generis iam in prioribus partibus disputationis passim nobis se obtulerunt. Sed facile plura inveniemus, totam orationem perscrutati. In exordio ipso, quod non sine diligentia videtur esse compositum, rhetoris indolem deprehendemus. Tres partes possunt discerni (§§ 1—2, 3—12,

13—14). Initio dicit auctor, se mirari, quod Lycurgus, cum ceteris de rebus optime disseruerit, id unum non viderit, non in orationibus accusatorum cardinem huius actionis esse positum, sed in sola iudicum opinione. Saepius Demosthenes in orationibus deliberativis initium cepit a sententiis eorum, qui ante eum verba fecerant cf. 3, 1; 6, 1; 8, 1—4, praecipue initium § 4: *Πολλὰ δὲ θαυμάζων τῶν εἰωθότων λέγεσθαι παρ' ὑμῖν, οὐδενὸς ἧττον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τεθαύμακα κτά.* Prooem 9, 28, 32, 35. Propius etiam accedit ad verba huius orationis locus qui est in transitione Dem. 20. 143. *Πολλὰ δὲ θαυμάζων Λεπτίνου κατὰ τὸν νόμον ἓν μάλιστα τεθαύμακα πάντων, εἰ ἐκεῖνο ἠγνόηκεν, ὅτι κτά.* Videmus orationis exordium vulgare et frequens esse apud oratores Atticos. Sed sententia num apta sit, dubito. Nam auctor, qui Lycurgum adiuvare vult, cum vituperet eum, quod verba inutilia fecerit (cf. *ὁρῶν ὑπερδιατεινόμενον*) atque id quod summum sit in hac lite. omnino non viderit, funditus delet ex animis iudicum, quidquid Lycurgi oratio profecerat. Alia offensio inest in verbis § 3. *καὶ ἔγωγ' ὑπολαμβάνω τὴν μὲν κατηγορίαν καὶ τὸ τῶν λόγων πλῆθος ἔθους ἕνεκα καὶ τῆς ὑμετέρας ἀκροάσεως δεῖν ποιήσασθαι.* Schaeferus explicavit: verba fieri debent, quia ita consuetudo poscit utque vos audiatis. Sed cur audiant, qui ipsi sciunt? Sic potius sententia potuit exprimi: 'quia consuetudo poscit, ut vos orationes accusatorum audiatis.' Verba autem, quae extant, inepte sunt dicta.

Altera pars exordii incipit verbis § 3: *Πολλῶν δὲ λόγων εἰρημένων καὶ πάντων καλῶς, οὐκ ὀκνήσω πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν ἅ γ' ἐμοὶ φαίνεται.* Haec quoque formula satis usitata est in exordio sive transitione. cf. Dem. 3, 4; 9, 1. Prooem. 6. Din. 1, 1. Sed hoc loco, cum verba praecedant § 1 *τὰ μὲν ἄλλα καλῶς αὐτὸν ἡγούμην λέγειν*, hoc novum prooemium inutile vel potius absurdum est. Iam vero sententias quae sequuntur § 3—5 si in unam complectimur, eadem est quae iam priore exordio continetur, haud ita magni momenti esse in hac lite orationes accusatorum. Nempe paullo aliter expressa est. Nam cum in § 1 a Lycurgi oratione profectus sit, in § 3 sq. ceteris litibus hanc de qua agitur opponit sed ita, ut planius explicet quae § 1 brevius dixit, utque ne verborum quidem repetitionem vitet. cf. § 1. *ὅτι οὔτε — οὔτε — τὰ τουτουὶ τοῦ ἀγῶνος δίκαιά ἐστιν ἰσχυρά* cum § 3 *οἱ δ' ἀντίδικοι μεθ' ἑαυτοῦ δείξων ἑκάτερος ὄντα τὰ*

τῶν νόμων δίκαια ἰσχυρά. Deinde profert sententiam valde tritam apud oratores Atticos, iudices ipsos bene scire causam, de qua agatur.[19]) Quae si non expressim § 1 et 2 dicta est, tamen latet in verbis § 2 *κεκρίσθαι δὲ τοῦτο τὸ πρᾶγμα πάλαι ὑπὸ τῆς ἑκάστου φύσεως οἴκοθεν.* Itaque si § 3—5 plane deessent, nihil nos desideraremus.

Paragraphis sequentibus (§ 6—12) exponitur, iudices, si absolvant reum, et se ipsos et totam civitatem ignominia adspersuros. Sententiae congruunt, quod iam dudum viri docti viderunt, cum locis nonnullis Dinarchi cf. 2, 4 et 19. Id tamen interest, ut ea quae Dinarchus breviter dicit, in hac oratione multo fusius nec sine inutilibus ambagibus, explicantur. cf. Din 2, 19 *ὥστε τὸ πολλάκις λεγόμενον ἀληθὲς εἰπεῖν ἐστιν, ὅτι περὶ μὲν τούτου τὴν ψῆφον ὑμεῖς μέλλετε φέρειν, περὶ δ' ὑμῶν οἱ περιεστηκότες καὶ οἱ ἄλλοι πάντες* cum Dem. 25, 6—7 et 12. Apud Dinarchum unam periodum legimus ita formatam, ut duo enuntiata hypothetica inter se opponantur. cf. Din. 2, 4. *εἰ μὲν οὖν ἐγγενήσεσθαι βούλεσθε δευσοποιὸν ἐν τῇ πόλει πονηρίαν, διαφυλάττειν ὑμᾶς Ἀριστογείτονα δεῖ καὶ ἐᾶν ὅ, τι ἂν βούληται ἐν τῇ πόλει διαπράττεσθαι· εἰ δὲ τοὺς πονηροὺς καὶ καταράτους ἀνθρώπους μισεῖτε, —, ἀποκτείνετε τοῦτον κτά.*[20]) In hac oratione tres periodos similes habemus, quae omnes easdem fere sententias continent. Prima legitur § 2, concisa et brevis *καὶ νυνὶ εἰ μέν εἰσιν ὑμῶν οἱ πλείους κτά,* altera iam excrescit § 6 *εἰ μὲν γὰρ ὀφθήσεσθε — παιδοτριβεῖν,* tertia omnem fere modum excedit § 10 sq. *εἰ μὲν οὖν ὑμεῖς ταῦτα βούλεσθε — καὶ τῆς πατρίδος.*[21]) Iam vero in § 9 legimus: *καὶ τούτοις τοῖς αἰσχροῖς ἁπάντων τῶν τῆς πόλεως καλῶν περίεισι, τῶν νόμων, τῶν προέδρων, τοῦ προγράμματος, τῆς*

---

[19]) Eundem in modum hac sententia usus est Lysias 22, 22. *οὐκ οἶδ' ὅ,τι δεῖ πλείω λέγειν. περὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων τῶν ἀδικούντων ὅτε δικάζονται, δεῖ παρὰ τῶν κατηγόρων πυθέσθαι, τὴν δὲ τούτου πονηρίαν ἅπαντες ἐπίστασθε.*

[20]) cf. etiam locos similes Lys. 12, 90; Lyc. 110; Dem. 21, 37, 218; 55, 33.

[21]) Ad *παριδόντας μή* desideratur cf. Dem. 21, 124 *οὐ δὴ δεῖ παρορᾶν τὰ τοιαῦτα* et 220 *(χρὴ) μὴ παρορᾶν τὰ τοιαῦτα* cf. etiam Prooem. 42, 2; Epist. 3, 1, et huius orationis § 29 *ταῦτ' οὐδὲ καθ' ἓν προσήκει παριδεῖν* et sensu contrario § 42 *πάντα ταῦτα παριδόντας.* Licet *πάντα τὰ τοιαῦτα ἔθη παριδόντας* per se possit idem valere atque *ἀφέντας,* hoc non quadret ad hunc locum, cum mores qui afferuntur sycophantarum sint ac non iudicum cf. § 8 et 9.

εὐκοσμίας. Similia verba extant § 11 πάντα τὰ ἐν τῇ πόλει καλὰ καὶ δίκαια καὶ συμφέροντα φυλάττειν — εἰληφὼς παρὰ τῶν νόμων καὶ τῆς πολιτείας καὶ τῆς πατρίδος. Haec quoque verba vel similia saepius audiebantur in foro Attico, cf. exempli causa Dem. 18, 63 τὰ τῶν προγόνων καλὰ καὶ δίκαια et 101 τῶν ὑπαρχόντων τῇ πόλει καλῶν et 20, 165 πάντα τὰ χρηστὰ πρὸς τὰ πονηρὰ ἀντιτάττεται. Aesch. 1, 54 saepius τὰ καλά et τὰ χρηστά opponuntur. Sed auctor non sibi constans est in eorum usu. Nam cum in § 9 leges ipsas inter haec bona reipublicae numeret, in § 11 dicit iudices a legibus bona illa tanquam pignus servanda accepisse. Haec omnia nonne rhetorem redolent, qui studio ductus oratorum dictionis imitandae, in ambages et nugas aberravit.

Sed finem etiam exordii inspiciamus! Pergitur § 13 πάνυ δ', ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μετὰ πάσης οἰκειότητος ἐρῶ τἀληθῆ πρὸς ὑμᾶς. Saepius profitentur cum ceteri oratores tum Demosthenes, se cum libertate locuturos. cf. Dem. 8, 24 λέξω δὲ μετὰ παρρησίας, cf. etiam 3, 3; 8, 21, 32; 9, 3; 19, 237; 23, 204; 37, 55 τἀληθῆ πάντ' ἐρῶ πρὸς ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, μετὰ παρρησίας. Sed 'cum familiaritate' numquam orator apud populum vel in iudicio ausus est profiteri se verba facturum. Hic vero 'plane cum omni familiaritate' verba facit. Sequitur locus de delatione quem supra tractavimus. Nunc ponamus vera esse quae rhetor nugatur, et verba sequentia consideremus. Narrat, cum ad accusandum Aristogitonem electus esset, primum se noluisse hoc munus suscipere, postremo vero putasse populi voluntati sibi esse parendum. Qua de causa cunctatus sit munus suscipere, his verbis obscurat magis quam declarat: οὐ γὰρ ἠγνόουν ὅτι ὁ ποιήσας τι τοιοῦτον παρ' ὑμῖν καὶ παθὼν ἀπέρχεται· εἰ δὲ μὴ τηλικοῦτον ὥστε εὐθὺς αἰσθέσθαι, ἀλλ' ἐὰν πολλὰ τοιαῦτα ποιῇ καὶ μὴ παύηται, ταχὺ γνώσεται. Quae verba ni inepta esse putemus, existimandum est eum iam saepius accusationes instituisse ideoque dubitasse etiam hanc suscipere. Nam elucet ex multis locis oratorum, hominem illiberalem et sycophantam habitum esse ab Atheniensibus, si quis in deliciis haberet, nulla ipse iniuria lacessitus, aliis lites intentare, et videmus, accusatores saepe causas afferre, quibus coacti sint reum in ius vocare. (cf. Lys. 22, 1; 12, 2; 24, 1; Dem. 22, 1; 24, 8; 53, 1; 59, 15; Aesch. 1, 1.) Sed hanc invidiam si ille timebat, quid eum coëgit, ut perpetuo (cf. καὶ μὴ

παύηται) accusationes institueret? Et quid fuit cur in hac lite invidiam timeret, cum a populo ipso electus esset ad hominem accusandum omnibus invisum et a quo ipse saepissime vexatus erat?

Quodsi quis adhuc dubitet, num haec a rhetore conficta sint, ei § 14 persuadebit. His verbis exordium finitur: *δότε δ', ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δότε καὶ συγχωρήσατέ μοι πρὸς Διός, ὡς πέφυκα καὶ προῄρημαι, περὶ τούτων διαλεχθῆναι πρὸς ὑμᾶς· καὶ γὰρ οὐδ' ἂν ἄλλως δυναίμην.* In plurimis exordiis defensionum, saepius etiam in accusationibus videmus eos, qui causam dicunt, petentes a iudicibus, ut benevolenter se audiant.[22]) Duo tantum loci extant, quibus reus petit, ut sibi liceat, defensionem, quemadmodum velit, instituere. Unus est apud Dem. 18, 1 sq. cf. imprimis verba *τὸ τῇ τάξει καὶ τῇ ἀπολογίᾳ ὡς βεβούληται καὶ προῄρηται τῶν ἀγωνιζομένων ἕκαστος, οὕτως ἐᾶσαι χρήσασθαι*, alter apud Hyperidem initio or. II ... *τῇ κατηγορίᾳ χρῆσθαι, οὕτω καὶ ἐμὲ ἐᾶτε ὃν τρόπον προῄρημαι καὶ ὡς ἂν δύνωμαι ἀπολογεῖσθαι.* (Similis etiam est locus Aesch. 2, 44 *ἐὰν δ' ἐμοὶ τῷ κινδυνεύοντι εἰπεῖν δῶτε ὡς βούλομαι* ubi se excusat Aeschines quod paullo longius rerum seriem repetiturus sit.) Utroque loco non sine iusta causa hoc petitur. Nam Aeschines (cf. 2, 202 sq.) poposcerat, ut eandem dispositionem quam ipse in accusatione secutus esset, ille in defensione observaret, et Ariston, Lycophronis adversarius petierat a iudicibus, ne audirent eius patronos (cf. col. VIII, 11 sq.), qua de re in partibus exordii amissis plura etiam verba facta sunt (cf. initium fr. II.). Ad accusationem vero non quadrat haec sententia neque ullo alio loco invenitur. Praetera habemus hic accusatorem

---

[22]) cf. Ant. 5, 4 *ἐγὼ αἰτήσομαι ὑμᾶς οὐχ ἅπερ οἱ πολλοὶ τῶν ἀγωνιζομένων ἀκροᾶσθαι σφῶν αὐτῶν αἰτοῦνται.* Andoc. 1, 9 *τάδε δ' ὑμῶν δέομαι, μετ' εὐνοίας μου τὴν ἀκρόασιν — ποιήσασθαι*, Andoc. 4, 7, Lys. 16, 9 et Frohb. ad h. l; 19, 2 et 11; Isocr. 14, 6; Isae. 2, 2 *δέομαι δ' ὑμῶν ἁπάντων καὶ ἀντιβολῶ καὶ ἱκετεύω μετ' εὐνοίας ἀποδέχεσθαί μου τοὺς λόγους;* Isae. 7, 4; 8, 5; 10, 1; Dem. 18, 6 *ἀξιῶ καὶ δέομαι πάντων ὁμοίως ὑμῶν ἀκοῦσαί μου* cf. § 2 *τὸ τὴν εὔνοιαν ἴσην ἀποδοῦναι.* Dem. 21, 7 *δέομαι οὖν ὑμῶν ἁπάντων — καὶ ἀντιβολῶ πρῶτον μὲν εὐνοϊκῶς ἀκοῦσαί μου λέγοντος, ἔπειτ' —, ἐὰν ἐπιδείξω —, βοηθῆσαι καὶ ἐμοὶ καὶ ὑμῖν αὐτοῖς.* 23, 4 et 19; 27, 3; 33, 16; 34, 1; 35, 5; 37, 3; 38, 2; 40, 4; 43, 2; 45, 1; 47, 3; 48, 3; 54, 2; 55, 2; 57, 1; 58, 3; Aesch. 2, 1; Lyc. 16 et 46. Maior quam accusatori benevolentia ut sibi tribuatur petit reus Andoc. 1, 6; Dem. 57, 1; Lys. 19, 3.

a populo ipso electum. Quis unquam tali patrono obstitit, ne pro facultate sua causam diceret? Itaque tota sententia quam maxime ab hac oratione abhorret.

Iam vero animadverte quo verborum splendore rhetor utatur! Usurpat anaphoram (*δότε — δότε* cf. Dem. 18, 139 *δότε δ' εἰ βούλεσθε, δότε αὐτῷ τοῦτο*), addit amplificationis causa etiam vocem similis notionis (*συγχωρήσατε*).[23]) Ne hoc quidem contentus corroborat sententiam Iovis etiam obtestatione (*πρὸς Διός*). Quid autem est, cur tam flebilem fere in modum roget ut sibi liceat munere suo ita fungi, ut sit naturae suae conveniens utque sibi proposuerit? Ipse nobis aperit: *καὶ γὰρ οὐδ' ἂν ἄλλως δυναίμην*. Pessimus sane hic orator, qui ne possit quidem alio modo loqui quam in lite aliqua sibi proposuerit! Sed ineptius etiam est, eum summa laterum contentione, plenissimo apparatu verborum nobis affirmare, non posse se aliter loqui atque natura constitutus sit. Per se ipsum nimirum perspicuum est, neminem posse naturam suam mutare. Tales ineptias ab oratore genuino apud iudices Athenienses prolatas esse nemo erit qui contendat. Quid? quod eadem verba, sed ita usurpata, ut nihil gravius possit cogitari, apud Demosthenem 8, 24 leguntur: *λέξω δὲ μετὰ παρρησίας· καὶ γὰρ οὐδ' ἂν ἄλλως δυναίμην*. Itaque in ipso facinore deprehendimus rhetorem flosculum Demosthenicum sibi surripientem, quod quam absurdum esset hoc loco homo omnis fere iudicii expers non vidit.[24])

---

[23]) Frustra quaesivi apud oratores Atticos locum, quo *διδόναι καὶ συγχωρεῖν* coniuncta sunt, praeter h. o. § 45 *δίδωμι, συγχωρῶ*, neque hoc sine causa mihi videtur accidisse. Nam oratores genuini si synonyma quae dicuntur usurpant, semper utuntur vocibus paullo diversae notionis (cf. Rehdantz, Index I s. v. Erweiterung), *δίδωμι* et *συγχωρῶ* autem ne tantillum quidem inter se differunt.

[24]) Mira verborum ac sententiae similitudo est inter hunc locum et fragmentum *περὶ τῆς δωδεκαετίας*, quod falso Demadi adscriptum est. cf. § 5 *δότε δή μοι πρὸς θεῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δότε διαλεχθῆναι ὡς προαιροῦμαι περὶ τῶν δικαίων*. Consensus tantus est, ut vix casu effici potuerit. Itaque videtur rhetor rhetorem expilasse. Notabile autem est, fragmenti auctorem omnes ineptias in quas Demosthenis imitator incidit, evitasse. Deest *ὡς πέφυκα* et *συγχωρεῖν* et oratio defensio est. Num ex hoc concludendum est, Demadis fragmentum, quod a Blassio (III, 2 p. 241) ad tempora Herodis Attici relatum est, ante Aristogitoniam confictam esse? Sed potest etiam cogitari, hunc locum in orationibus genuinis rarissimum, in rhetorum scholis tritum fuisse.

Non minores ineptias continet prima pars orationis (§§ 15—35), qua de ipso negotio nulla fere, de legibus earumque utilitate multa atque inutilia verba fiunt. § 15 et 16 plane in commune sunt dictae et speciem quandam philosophicae doctrinae prae se ferunt. Dicit auctor, totam vitam humanam natura et legibus regi, quarum illa sit normae expers et uniuscuiusque propria et saepius prava petat, hae omnium communes sint semperque velint id quod rectum et iustum sit. Deinde ita describit legum originem, ut dicat, quaeri iustum et honestum et utile, et cum inventum sit (scil. ab hominibus), commune omnium statui imperium atque hanc esse legem. (*καὶ τοῦτο ζητοῦσι, καὶ ἐπειδὰν εὑρεθῇ, κοινὸν τοῦτο πρόσταγμα ἀπεδείχθη, πᾶσιν ἴσον καὶ ὅμοιον, καὶ τοῦτ' ἔστι νόμος*). Sed paucis verbis post unamquamque legem deorum inventum et donum appellat (*πᾶς ἐστὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν*). Iam vero ut demonstret, legibus esse parendum, sic colligit: *ᾧ πάντας πείθεσθαι προσήκει διά πολλά, καὶ μάλισθ' ὅτι πᾶς ἐστὶ νόμος — πόλεως δέ συνθήκη κοινή, καθ' ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει.* Itaque id ipsum, quod demonstrare vult, pro argumento ponit. Quae quam inepta sint, Weilium (l. l. p. 2) non fugit, qui totam illam legum laudem a verbis *διὰ πολλά* usque ad *ἐν τῇ πόλει* a rhetore posterioris temporis insertam esse censet. Sed cum aliae extent ineptiae, quae nulla coniectura sanari possint, coniecturis parcendum est in hac oratione. Interpolationem autem verba non redolere nemo erit qui neget. Nam verba *ᾧ πάντας πείθεσθαι προσήκει* poscunt hoc in conexu explicationem. Accedit quod ne Weilii quidem coniectura omnes huius loci ineptiae tolluntur. Nam etiam inter § 15 et 16 dubito num rectus extet sententiarum nexus. In § 15 leges finguntur iam vigentes et totam vitam humanam moderantes. Id autem inter leges et naturam ponitur discrimen, quod illae semper id quod iustum sit, velint, natura saepe prava sectetur. Hoc ipsum iustum et honestum et utile, quod leges, (quae iam extant) petunt, natura humana spernit, initio § 16 quaeritur ab hominibus et eo quod invenitur et commune imperium fit, lex efficitur. Haecine inter se quadrare putabimus? Weilius delet *καὶ* ante *τοῦτο ζητοῦσι*, scilicet ne quis *καὶ τοῦτο ζητοῦσι* cum sententia antecedenti *οἱ δὲ νόμοι τὸ δίκαιον — βούλονται* coniungat, quo absurdior etiam sensus efficitur. Sed ne sic quidem locus recte se habet. Videmus igitur qualis sit ille color philosophicus orationi adspersus. Collegit sibi auctor

nonnulla frustula ex philosophorum libris, sed conglutinavit sententias inter se repugnantes. Hic fucus rhetoribus merito magna in admiratione fuit (cf. Lib. hyp. finem), nos deludere non iam debet.

Paragraphus quae sequitur meras nugas continet, quas qui emendare conetur, oleum et operam perdat. Pergit scriptor: *ἀλλὰ μὴν ὅτι νῦν Ἀριστογείτων τοῖς μὲν τῆς ἐνδείξεως δικαίοις ἅπασιν ἑάλωκεν, ἕτερος δ' οὐδείς ἐστιν ἀνεκτὸς αὐτῷ λόγος, περὶ τούτων ῥᾴδιον διδάξαι.* Primum offendit in his verbis usus vocabuli *ἀνεκτός*, nam *λόγοι οὐκ ἀνεκτοί τινι* vix aliud significare possunt nisi verba quae ab aliquo ferri non possunt i. e. quae iram eius movent cf. Dem. 8, 8 *οὔθ' ὅσια οὔτ' ἀνεκτὰ λέγουσιν;* 18, 203 *ἀλλ' οὐκ ἦν ταῦθ', ὡς ἔοικε τοῖς τότε Ἀθηναίοις πάτρια οὐδ' ἀνεκτά;* 19, 197 *τὸ πρᾶγμα ἔφασαν — οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι.* cf. etiam Lys. 22, 20; Isocr. 7, 38; 8, 65; 12, 26, 29; 15, 48, Aesch. 1, 34, et huius ipsius orationis § 32 *πόλει δ' οὐκ ἀνεκτόν.*

Quid? Haec verba si legimus, nonne expectamus scriptorem ius delationis breviter attacturum et argumenta prolaturum? Sed nihil sequitur nisi novus locus communis, de iure delationis ne verbum quidem fit. cf. *δυοῖν γὰρ ὄντοιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὧν ἕνεκα πάντες τίθενται οἱ νόμοι, τοῦ τε μηδένα μηδὲν ὃ μὴ δίκαιόν ἐστι ποιεῖν, καὶ τοῦ τοὺς παραβαίνοντας ταῦτα κολαζομένους βελτίους τοὺς ἄλλους ποιεῖν κτλ.* Haud raro invenitur apud oratores Atticos haec sententia, ideo poenam esse repetendam ab homine malefico, ut ceteri meliores fiant. cf. Lyc. § 67. *τὸν αὐτὸν τοίνυν τρόπον κολαστέον ἐστὶ τοῦτον, εἰ μέλλετε τοὺς ἄλλους πολίτας βελτίους ποιήσειν.* cf. etiam Andoc. 4, 40; Lys. 6, 54; 15, 9; 20, 31; 25, 21; 27, 7; 28, 15; 30, 23; 31, 25; Isocr. 7, 20; Dem. 19, 285; 22, 35. Sed distinctio, quam rhetor statuit, mira mihi videtur ac fere nulla. Nam prioris membri is est sensus, leges esse datas, ut omnes arceantur ab iniuria, alterius is, ut, si tamen facta sit, punitis iis qui commiserint ceteri arceantur ab iniuria. Itaque hanc quoque sententiam per se aptissimam rhetor depravavit.

Clausula periodi haec est: *ἀμφοτέροις τούτοις οὗτος ἔνοχος ὢν φανήσεται. ἔνοχος* (constrictus) aliquis potest esse legibus (cf. Dem. 20, 156; 21, 35. *τῇ ἀρᾷ* Dem. 19, 201; 23, 97; Aesch. 3, 121; Lyc. 31) vel accusatione (*τῇ γραφῇ* Dem. 24, 39, 61, 108; Lys. 14, 46 *τῇ κατηγορίᾳ* Dem. 24, 214; *τῇ ἀπαγωγῇ* Lys. 13, 85) vel poena (*τοῖς ἐπιτιμίοις* Ant. 4, *α*, 4 et *β*,

3 Lyc. § 4 et 114 Aesch. 1, 72, 90; ζημίᾳ Lys. 7, 37; 14, 9; ταῖς μεγίσταις τιμωρίαις Dem. 24, 120; δεσμῷ Dem. 51, 4) vel crimine, cuius accusatur (τῷ φόνῳ Ant. 1, 11; τῇ αἰτίᾳ Lys. 10, 22; Is. 15, 237; Isae. 11, 15 τοῖς εἰρημένοις Is. 2, 47; 15, 131 et quae sunt similia). Uno loco sequitur infinitivus per articulum in substantivi ordinem redactus cf. Dem. 58, 6 ἔνοχον εἶναι Θεοκρίνην τῷ φήναντα Μίκωνα Χολλείδην μὴ ἐπεξελθεῖν, ἀλλ' ἀργύριον λαβόντα ἀποδόσθαι τὸ πρᾶγμα. Sed quomodo quis constrictus tenetur τῷ παραβαίνοντα τοὺς νόμους κολαζόμενον βελτίους τοὺς ἄλλους ποιεῖν? Ne hoc quidem vocabulum oratorum Atticorum proprium recte usurpavit falsarius.

Pergit deinde particula γάρ et periodo bimembri. Explicabit igitur nobis, cur duabus illis causis reus constrictus teneatur, docebit et iniuriam ab eo esse factam et exemplum in eo esse statuendum, ne alii eadem audeant. Nam sic melius quam scriptor ipse, quae dicere voluerit, exprimemus. Sed priore parte periodi sequentis commemorantur non solum delicta, quae ille commiserat, sed etiam poena, qua erat affectus. cf. ἐπὶ μὲν γὰρ οἷς ἐξ ἀρχῆς παρέβη τοὺς νόμους, τὰ ὀφλήματ' αὐτῷ γέγονεν. Altera parte ea sententia exprimitur, illum, quia non acquieverit in his multis, id est, quia capite deminutus, ausus sit in foro versari atque apud populum contionari, nunc in ius vocari, ut (iterum) puniatur. cf. ἐπὶ δ' οἷς οὐκ ἐμμένει τούτοις, νῦν ἐπὶ τὴν παρ' ὑμῶν ἄγεται τιμωρίαν. Haec quamquam ad litem ipsam pertinent, tamen minime respondent distinctioni supra constitutae. Et his nugis prolatis videtur auctor sibi demonstrasse, nullam causam relinqui, cur reus posset absolvi! cf. ὥστε μηδεμίαν καταλείπεσθαι πρόφασιν, δι' ἣν ἄν τις αὐτὸν ἀφείη.

In § 18 accingit se ad refellendos eos, qui dicant, civitatem ex his rebus nullum detrimentum capere. Longa praeteritione praemissa profitetur clare se demonstraturum, omnem disciplinam legum et reipublicae, quantum attineat ad Aristogitonem, labefieri. cf. § 19 ἀλλ' ὅτι καὶ πᾶς ὁ τῆς πόλεως καὶ τῶν νόμων κόσμος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, συνταράττεται καὶ διαφθείρεται κατὰ τοῦτον, καὶ τοῦτ' οἶμαι σαφῶς ὑμῖν ἐπιδείξειν. Expectamus fore, ut sententiae quae § 8 et 9 breviter adumbratae sunt, hoc loco uberius explicentur, ut Aristogitonis impudentia depingatur exemplisque illustretur, ut describatur quanto detrimento talis licentia, si magis magisque in foro inveterascat, reipublicae futura sit. Sed iterum expectatio decipitur. Nam, antequam ad

Aristogitonem ipsum venit, inserit (§ 20—27) novum locum communem verbosissimum, in quo ille tanquam in transcursu nonnullis locis commemoratur (cf. § 21 *τί γὰρ ἂν τοῦτον αὐτὸν οἴεσθε ποιεῖν λυθέντων τῶν νόμων, ὃς ὄντων κυρίων τοιοῦτός ἐστιν;* et § 25 *φέρε γὰρ πρὸς θεῶν, εἰ ἕκαστος τῶν ἐν τῇ πόλει τὴν Ἀριστογείτονος τόλμαν καὶ ἀναισχυντίαν λαβὼν κτἑ*).

Sententia autem principalis ea est, ut demonstretur sine legibus rempublicam non posse constare. Totus locus supervacaneus est. Nam auctor ipse cum dicit: *πᾶς ὁ τῆς πόλεως καὶ τῶν νόμων κόσμος*, ponit ornatum reipublicae et legum esse eundem nec rempublicam sine legibus cogitari posse, et suo iure hoc sibi sumit pro demonstrato, cum iam § 15 et 16 comprobaverit.

Nexus autem sententiarum huius loci hic est:

Si quis quaeret, quid sit quod efficiat ut omnia fiant, quibus respublica ordinetur, leges inveniet causam esse atque omnium in eas oboedientiam. Nam legibus solutis et facultate unicuique data faciendi quidquid volet, tota respublica corruet (§ 20). Itaque debetis, iudices, castigare eos, qui legibus non parent, quippe qui multa et magna bona vobis eripiant (§ 21—23). Nam quidquid est sacrum et bonum, id legum auxilio vincit prava. Itaque leges debetis tueri, nam eorum auxilio boni superant malos, solutis autem iis omnia permiscentur et civitas in potestate hominum pravissimorum est. Nam si unusquisque vestrum, quaecunque velit, facere sibi licere putet, num possit etiam respublica constare, num leges ratae esse possint? (§ 24—26.) Sed quid opus est contendere legibus omnia ordinari atque earum oboedientia, quoniam vos ipsi legum iussu iudices facti estis? Quae si ita sunt, num vos eum absolvetis qui et dictis et factis leges violare ausus sit? (§ 27.)

Quantae ambages! Quantus verborum tumor! Eaedem sententiae, legibus rempublicam regi neque solutis iis posse stare, itaque iudices eas debere tueri et castigare si quis iis non paruerit, nonne iterum iterumque repetuntur atque id iisdem fere verbis? § 20 quaerit *τί ποτ' ἐστὶ τὸ αἴτιον καὶ τὸ ποιοῦν — (καὶ) πάντα δι' ὧν ἡ πόλις οἰκεῖται καὶ σώζεται γίγνεσθαι;* et respondet *τοὺς νόμους εὑρήσει τούτων αἰτίους καὶ τὸ τούτοις ἅπαντας πείθεσθαι*, quasi vero non iam § 15 dixerit: *ἅπας ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος, κἂν μεγάλην πόλιν οἰκῶσι κἂν μικράν, φύσει καὶ*

νόμοις διοικεῖται, ac § 16 de legum oboedientia disseruerit cf. *ᾧ πάντας πείθεσθαι προσήκει κτᾶ.* Deinde § 22 dicit, stipem esse tanquam publicam et communem (*ἔρανος πολιτικὸς καὶ κοινός* cf. § 15 *οἱ δὲ νόμοι κοινόν* et § 16 *κοινὸν πρόσταγμα* et *πόλεως συνθήκη κοινή*), quidquid unusquisque legum iussu faciat, et pergit *ὃν ὁ λείπων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πολλὰ καὶ καλὰ καὶ σεμνὰ καὶ μεγάλα ὑμῶν ἀφαιρεῖται*, atque exempla affert horum bonorum plane eiusdem generis atque ea, quae § 20 attulit, et primo loco iterum senatum quingentorum ponit. Exemplis autem allatis, ter eadem fere verba profert § 24: *πάντα γὰρ τὰ σεμνὰ καὶ καλά, καὶ δι᾽ ὧν ἡ πόλις κοσμεῖται καὶ σώζεται — τῇ τῶν νόμων προσθήκῃ τῶν αἰσχρῶν περίεστι*, et nova addit exempla, non iam singula reipublicae instituta, sed temperantiam et pudorem et modestiam. Supra autem vidimus, iam in prooemio bis (§ 9 et 11) similia verba inveniri ac ne illis quidem locis scriptorem in eorum usu sibi constantem esse. Sed haec omnia tanquam nondum sufficiant, quater incipit § 27. *καὶ τί δεῖ λέγειν ὅτι τοῖς νόμοις ἅπαντα κοσμεῖται καὶ τῷ τούτοις πείθεσθαι;* et exempli causa iudices ipsos affert, cum iam § 20 iudicia compleri legum iussu dixerit. (*τὰ δικαστήρια πληροῦσθαι.*)

Atque ut hanc sententiam, legibus civitatem regi, comprobet, quaerit, quid futurum sit, si leges solvantur, id quoque plus uno loco. cf. § 20. *λυθέντων γε τούτων, καὶ ἑκάστῳ δοθείσης ἐξουσίας ὅ, τι βούλεται ποιεῖν, οὐ μόνον ἡ πολιτεία οἴχεται κτᾶ* et § 25 *εἰ δὲ μὴ λέλυται πάντα, ἀνέῳκται, συγκέχυται κτᾶ*. Hoc loco conatus sententiam fusius etiam explicare cadit in vitium quod cogitandi arti repugnat. Nam omnes propositiones periodi sequentis si in unam complectimur, id dicit: ‘si legibus solutis unusquisque suam ipsius voluntatem sequatur’. Poscitur in apodosi sententia: ‘respublica tota corruat’, et extat, cf. § 26 *εἰ ταῦτα ποιοῖμεν, ἔστιν ἔτι τὴν πόλιν οἰκεῖσθαι;* sed additur ipsa ea, quae propositionibus explicata est: *τί δέ; τοὺς νόμους κυρίους εἶναι;* Taylorus delevit haec verba tanquam additamentum interpolatoris, Reiskius ea defendit[25]), sed malo eventu, nam sententiarum conexus, quem statuit, in oratione ipsa non extat.

---

[25]) Sic putat oratorem colligere: Civitas bene constituta legibus carere nequit, sed civitas, in qua huiusmodi mores dominantur, constare nequit; ergo neque leges in ea valent, quas tamen nemo est qui dubitet

Tertium membrum enthymematis, quod fusius explicat rhetor, legitur § 21 *ἐπειδὴ τοίνυν οἱ νόμοι μετὰ τοὺς θεοὺς ὁμολογοῦνται σώζειν τὴν πόλιν, δεῖ πάντας ὑμᾶς — τὸν μὲν πειθόμενον τούτοις — τιμᾶν καὶ ἐπαινεῖν, τὸν δ' ἀπειθοῦντα κολάζειν.* et § 24 *τοὺς νόμους οὖν δεῖ τηρεῖν καὶ τούτους ἰσχυροὺς ποιεῖν τοὺς ἀεὶ δικάζοντας ὑμῶν.*

Non multum refert num cum Cobeto in § 24 verba *καὶ δι' ὧν ἡ πόλις κοσμεῖται καὶ σώζεται* eiciamus. Restant multae aliae cum verborum tum maxime sententiarum repetitiones, quae rhetorem convincunt. Sunt autem similes loci communes, quibus exponitur, quid leges valeant in civitate Atheniensi, haud ita rari apud oratores imprimis apud Demosthenem et Aeschinem in publicis orationibus iudicialibus, ac liceat mihi omnes apponere, quo clarius fiat, quantopere distent rhetoris nugae ab oratorum sententiis.

Saepius paucis verbis in enuntiato secundario positis legum vis et virtus celebratur.

cf. Dem. 20, 90 *τοὺς δὲ νόμους αὐτούς, καθ' οὓς καὶ τούτοις ἄρχειν καὶ πᾶσι τοῖς ἄλλοις πολιτεύεσθαι προσήκει κτά.*

Dem. 21, 150. *πατρίδος τετευχὼς ἣ νόμοις τῶν ἁπασῶν πόλεων μάλιστ' οἰκεῖσθαι δοκεῖ.*

Dem. 58, 56 *τοὺς νόμους, δι' οὓς οἰκοῦμεν τὴν πόλιν·* 59, 115. *τῶν νόμων αὐτῶν ἀκούετε, δι' ὧν οἰκεῖται ἡ πόλις καὶ καθ' οὓς ὀμωμόκατε δικάσειν.*

Aesch. 3, 196 *ἐν τοιαύτῃ πολιτείᾳ, ἣν οἱ θεοὶ καὶ οἱ νόμοι σώζουσι* et 169 *τοῖς νόμοις, οἳ σώζουσι τὴν δημοκρατίαν.*

Isocr. 11, 32 *νόμων καὶ πολιτείας, αἵπερ εἰσὶ πράξεις τῶν ἀνδρῶν τῶν καλῶν κἀγαθῶν.*

Dem. 24, 155 *ὁρῶν γὰρ ἑκάστοτε πάντας, καὶ τοὺς πολιτευομένους καὶ τοὺς ἰδιώτας, τοὺς νόμους τῶν τῆς πόλεως ἀγαθῶν αἰτίους ὑπολαμβάνοντας, ἐσκόπει κτά.*

Dem. 21, 45 *τὴν μὲν γὰρ ἰσχὺν ὀλίγων, τοὺς δὲ νόμους ἁπάντων εἶναι.* et 210 *τὴν ἄδειαν, ἣν ἡμῖν κοινὴν οὐσίαν οἱ νόμοι παρέχουσι.*

Breves et concisae sunt hae quoque sententiae: Isocr. 6, 35 *ὁρῶ γὰρ τοὺς νόμους ἕνεκα τούτου* (i. e. *τοῦ δικαίου*) *κειμένους.*

---

necessarias esse. Vel sic: Legum edicta exequenda sunt: sed leges poenas illis indicunt qui sunt Aristogitoni similes et eos a foro excludunt: ergo Aristogitoni quoque actione causarum interdicendum est.

Dem. 24, 152 *ἡ γὰρ πόλις ἡμῶν, ὦ ἄνδρες δικασταί, νόμοις καὶ ψηφίσμασι διοικεῖται* et 156 *οἵ τε γὰρ σώζοντες τὴν πόλιν εἰσὶ νόμοι.*

Aesch. 3, 23 *μηδ᾽ ἔμπροσθεν τῶν νόμων, ἀλλ᾽ ὕστερος πολιτεύου· ταῦτα γὰρ ὀρθοῖ τὴν δημοκρατίαν.* cf. etiam Lys. 26, 9. Sed habemus etiam locos, quibus paullo accuratius de his rebus disputatur.

cf. Andoc. 4, 19 *νομίζω δὲ ταύτην εἶναι σωτηρίαν ἅπασι, πείθεσθαι τοῖς ἄρχουσι καὶ τοῖς νόμοις· ὅστις δὲ ὑπερορᾷ ταῦτα, τὴν μεγίστην φυλακὴν ἀνῄρηκε τῆς πόλεως.*

Lys. 2, 19 (*οἱ πρόγονοι*) *ἐλευθέραις ταῖς ψυχαῖς ἐπολιτεύοντο, νόμῳ τοὺς ἀγαθοὺς τιμῶντες καὶ τοὺς κακοὺς κολάζοντες, ἡγησάμενοι θηρίων μὲν ἔργον εἶναι ὑπ᾽ ἀλλήλων βίᾳ κρατεῖσθαι, ἀνθρώποις δὲ προσήκειν νόμῳ μὲν ὁρίσασθαι τὸ δίκαιον, λόγῳ δὲ πεῖσαι, ἔργῳ δὲ τούτοις ὑπηρετεῖν, ὑπὸ νόμου μὲν βασιλευομένους, ὑπὸ λόγου δὲ διδασκομένους.*

Lycurgus initio Leocrateae (§ 3) exponit, tria esse quae tueantur populi imperium (*ἃ διαφυλάττει καὶ διασώζει τὴν δημοκρατίαν καὶ τὴν τῆς πόλεως εὐδαιμονίαν*), leges, iudicum suffragia, accusationes, quibus noxii iudicibus tradantur.

Aeschines initio et Timocrateae (§ 4—6) et Ctesiphonteae (§ 6) iisdem fere verbis, quid intersit inter imperium populi et unius vel paucorum, depingit. cf. imprimis verba 1, 4. *διοικοῦνται δ᾽ αἱ μὲν τυραννίδες καὶ ὀλιγαρχίαι τοῖς τρόποις τῶν ἐφεστηκότων, αἱ δὲ πόλεις αἱ δημοκρατούμεναι τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις* = 3, 6 initio. et 1, 5 *εὖ δ᾽ ἴστε, ὦ Ἀθηναῖοι, ὅτι τὰ μὲν τῶν δημοκρατουμένων σώματα καὶ τὴν πολιτείαν οἱ νόμοι σώζουσι*, et 3, 6 in fine *ὅταν διατηρηθῶσιν οἱ νόμοι τῇ πόλει, σώζεται καὶ ἡ δημοκρατία.*

Demosthenes non solet in argumentationibus a sententiis communibus proficisci, sed ita eas inserit, ut sententiarum conexu necessitate quadam ad eas ductus videatur et interdum nonnulla verba immiscet, quae unam ad causam de qua agitur quadrant. cf. 21, 188. *καὶ γὰρ ὀμωμόκατε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς νόμοις πείθεσθαι, καὶ τῶν ἴσων μέτεστιν ὑμῖν διὰ τοὺς νόμους, καὶ πάνθ᾽ ὅσα ἐστὶν ἀγαθὰ ὑμῖν διὰ τοὺς νόμους ἐστίν, οὐ διὰ Μειδίαν οὐδὲ διὰ τοὺς Μειδίου παῖδας.*

24, 5 *τῶν γὰρ ὄντων ἀγαθῶν τῇ πόλει καὶ τοῦ δημοκρατουμένην καὶ ἐλευθέραν εἶναι ὡς ἄλλο τι τῶν νόμων αἰτιώτερόν ἐστιν, οὐδ᾽ ἂν ἕνα εἰπεῖν οἴομαι* et 216 *ταῦτα δὲ πάντα*

τί σώζει καὶ συνέχει; οἱ νόμοι· κατὰ γὰρ τούτους οὔσης τῆς πολιτείας ἐστὶ ταῦτα χρήσιμα τῷ κοινῷ. εἰ δὲ τοὐναντίον γένοιτο τοῖς χρηστοῖς μὲν μηδ' ὁτιοῦν πλέον, τοῖς δ' ἀδικοῦσιν ἄδεια ἔσῃν Τιμοκράτης γέγραφε, πόση ταραχὴ γένοιτ' ἂν εἰκότως.[26])

Addo nonnullos locos, quibus iudices admonentur, ut leges tueantur, similibus verbis atque in Aristogitonia.

cf. Dem. 21, 177 *τοῦτο γάρ ἐσθ' ὃ φυλάττειν ὑμᾶς δεῖ, τοὺς νόμους, τὸν ὅρκον. ταῦτ' ἔχεθ' ὑμεῖς οἱ δικάζοντες ἀεὶ παρὰ τῶν ἄλλων ὥσπερεὶ παρακαταθήκην, ἣν ἅπασιν ὅσοι μετὰ τοῦ δικαίου πρὸς ὑμᾶς ἔρχονται σῴαν ὑπάρχειν δεῖ.* et §§ 222—25, quibus exponitur, leges iudicum auxilio et iudices legum auxilio valere.

Dem. 19, 239 *ὑμῖν δὲ τῶν νόμων καὶ ὅλης τῆς πόλεως* (scil. *προσήκει φροντίζειν*). cf. etiam 21, 34 et Aesch. 1, 6.

Videmus igitur, easdem sententias, quae in Aristogitonia tantis ambagibus exponuntur, eadem verba, quae ab illius scriptore iterum iterumque repetuntur, inveniri etiam apud oratores genuinos, sed locis aptis usurpata atque ita ut omnes inutiles repetitiones evitentur. Quo verisimilius etiam est, locum Aristogitoniae elaboratum esse a rhetore, qui sententias, quas apud oratores breviter expressas legit, fusius explicare studuit. Inde a § 27 disserit de Aristogitonis sceleribus. Versatur autem in eadem sententia, quam se praeteriturum § 19 dixit, ideo illi non esse cedendum, quia vi civitatem sibi arripere conetur. cf. § 19. *καὶ ὅτι οὐδ' εἰ πᾶσι τοῖς ἄλλοις* [*ἀφίετε*], *οὐχὶ τῷ βιαζομένῳ δήπου συγχωρῆσαι προσήκει* (*ὕβρις γὰρ δὴ τοῦτό γε*), *καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα ἐάσω* cum § 27 *τὸν παρὰ τοὺς νόμους λέγειν ἢ πράττειν τι βιαζόμενον* et *ὁ βδελυρὸς καὶ ἀναιδὴς ἄνθρωπος βιάζεται τοὺς νόμους* et § 28 *ἐς τὸ ἐντὸς τούτων βιάζῃ* et § 30 *εἴ τις, ἐξ ὧν οὗτός ἐστι μερῶν, εἴποι τοῖς βιαζομένοις ἐξεῖναι λέγειν.* In § 32 autem denuo cadit in locum communem de amentia, satis ridiculum et cui similem frustra apud oratores Atticos quaeras. Graviter admonet iudices, cum pro patria deliberent, ne quaerant, quem dementiae, sed quem prudentiae

---

[26]) Similes sententiae, similem in modum expressae inveniuntur etiam apud tragicos cf. Eur. Suppl. v. 312. *τὸ γάρ τοι ξυνέχον ἀνθρώπων πόλεις τοῦτ' ἔσθ' ὅταν τις τοὺς νόμους σώζῃ καλῶς*, et deinde v. 429—39. cf. etiam Eur. Fr. 294 (Dind.) et 364. Soph. Ant. 663—676; Ai. 1073—83; Phil. 456 sq. Oed. Col. 913. *δίκαι' ἀσκοῦσαν εἰσελθὼν πόλιν. κἄνευ νόμου κραίνουσαν οὐδέν.* Aesch. Sept. v. 224.

et consilii participem reddant. Nam haec esse quae homines ad felicitatem perducant. Quod ut comprobet, omnes hominum mores ante oculos nobis proponit, et narrat, omnibus civitatibus esse aras et templa deorum, et inter hos Minervae quoque Prudentiae, non autem amentiae et impudentiae. Sed risum movet, quod inserit descriptionem templi Minervae iuxta templum Apollinis Delphis sitae, et verbis poëticam redolentibus Apollinem testem affert, ut demonstret iure templum ibi esse conditum cf. § 34. *καὶ παρὰ τῷ Ἀπόλλωνι ἐν Δελφοῖς κάλλιστος καὶ μέγιστος νεὼς εὐθὺς εἰσιόντι εἰς τὸ ἱερόν, ὃς ὢν θεὸς καὶ μάντις οἶδε τὸ βέλτιστον.* Postremam quoque periodum exornavit lumine egregio ex poëtis surrepto, optimas aras deorum in mente uniuscuiusque condi (cf. Eurip. Hel. 1002; fr. 170 Dind.), quod mirum in modum praefulget inter nugas rhetoris.

Partes orationis, quae sequuntur, non posse ab oratore compositas esse, supra vidimus, neque operae pretium mihi videtur, omnes sententias diligenter ponderare et quaerere, num apte sint expressae, praesertim cum res multis locis in iudicio magis posita sit quam in certis argumentis; velut locum communem, qui legitur §§ 87—89, quo concordia et domestica et publica celebratur, Weilius putat ne Demosthene quidem indignum esse, equidem cum A. Schaefero persuadere mihi non possum, haec praecepta tam lubrica ab ullo oratore Attico apud iudices esse prolata. Sed utut hoc est, cum plurimae partes orationis manifesta vestigia rhetoris praebeant, tota est ficta. Neque ego exceperim locum, qui est §§ 69—75, quem Blassius, cum argumentationem contineat vividam et firmam, oratoris esse opinatur. Mihi argumenta minime supra rhetorem videntur, immo vero in § 73 inest conclusio tam perversa ac ridicula, ut, si in oratione genuina extaret, nescio an suspicionem interpolationis moveret. Agitur de tertio debito Aristogitonis. Quaerit auctor, quid futurum sit, si illi contingat, Aristonem inscriptionis falsae convincere, et respondet fore ut illius nomen deleatur, huius inscribatur. Deinde pergit: *πότερον οὖν ἀπὸ ταύτης τῆς ἡμέρας ὁδὶ μὲν ὀφειλήσει τῷ δημοσίῳ ὁ ἐξαλειφθείς, ἐκεῖνος δ' ἐπίτιμος ἔσται ὁ ἐγγραφείς; ἐκ γὰρ ὧν νῦν ὅδ' ἀξιοῖ, ταῦτα συμβαίνει· εἰ γὰρ ὅτ' ἐγγέγραπται μὴ ὀφείλει, ἐπειδὰν ἐξαλειφθῇ ὀφειλήσει δῆλον ὅτι.* Sic igitur concludit, si quis, cum inscriptus sit in aerario publico, civitatem usurpet, effici, ut civitatem amittat, si nomen extinctum sit. Multa sane argumenta

oratorum vilia sunt ac fere nulla, sed ad conclusionem tam ineptam ac tantopere cogitandi arti repugnantem nullus unquam orator descendit.

Iam vero § 74 verba continet, quae omni sensu carent. Sic pergit: *τί δ'; ἂν αὐτὸν ἀποφύγῃ* (i. e. si Ariston absolvetur), *παρὰ τοῦ κομιεῖται ἡ πόλις.* — Haec verba si legimus, supplemus: a quo civitas pecuniam illam accipiet, si Aristogiton ipse debitor aerarii non est, vel simile quid expectamus. Sed verba quae sequuntur: *ἃ νῦν οὐκ ἐξὸν οὗτος ποιεῖ*; spectant ad accusationes, quas Aristogiton praeter ius intendit. Quid hoc est: A quo civitas accipiet ea, quae iste nunc praeter ius facit? Verba arrident, sed sensus nullus inest. Nec melius se habent ea quae sequuntur: *πόθεν δ', οἷς οὗτος θανάτου τιμᾶται καί δεσμοῦ περιιὼν ἐν τῷ δικαστηρίῳ, οἱ μὲν τὰς ψυχὰς οἱ δὲ τὸ μὴ δεινὰ πεπονθέναι κομιοῦνται; ᾧ γὰρ οὐδὲ τῶν ἴσων οὐδὲ τῶν ἐγκυκλίων δικαίων μετουσίαν διδόασιν οἱ νόμοι, οὗτος τῶν ἀνηκέστων ἑτέροις αἴτιος γίγνεται, οὐκ ὀρθῶς οὐδὲ πολιτικῶς οὐδ' ὡς συμφέρει γιγνομένων τούτων.* Quid haec sibi volunt hoc loco? Iterum sine dubio supplendum est: *ἂν αὐτὸν ἀποφύγῃ.* Sed Ariston si criminis absolvetur, num ceteri, quibus Aristogiton lites intentaturus est, in maius periculum vocabuntur? Equidem despero me posse eruere, quae sententiae auctori, cum haec verba scriberet, ante animum versatae sint. Certe vero oratori haec tribui non possunt nec minus a foro Attico abhorrent quam definitio illa, quae sequitur § 75, verborum *τἄνω κάτω γεγενῆσθαι*, quam Blassius quoque inanem rhetoris declamationem esse concedit. Ac ne in ea quidem omnia aptum sensum praebent. Nam ad verba: *ἀλλ' ὅταν, οἷς ἐκ τῶν νόμων μὴ ἔξεστιν, ἐκ τῶν ὑμετέρων βουλήσεων ἐξῇ* infinitivus desideratur, velut *λέγειν*, qui nescio an ipsius auctoris captu omissus sit.

Postremo unum etiam locum in quaestionem vocare mihi liceat, qui usui linguae Atticae repugnare videtur. Est § 67 sq., quo rhetor figuram subiectionis imitatur.

Nulla fere est figura, qua magis augeatur orationis celeritas et alacritas, quam occupationibus vel interrogationibus et refutationibus se excipientibus. Saepius talis series sic est instituta, ut primum membrum particula *πότερον* vel similem in modum incipiat, sequentia particula *ἀλλά*; refutationes autem vel per enuntiata relativa interrogatio nibus adiuncta vel per novas

interrogationes fieri vel ipsae quoque vocabulo ἀλλά induci possunt. Exempla, quae inveni apud oratores Atticos, omnia apponam.[27])

Apud Antiphontem unum extat, cf. 5, 57 *Τίνος γε δὴ ἕνεκα τὸν ἄνδρα ἀπέκτεινα; οὐδὲ γὰρ ἔχθρα οὐδεμία ἦν ἐμοὶ κἀκείνῳ. λέγειν δὲ τολμῶσιν ὡς ἐγὼ χάριτι τὸν ἄνδρα ἀπέκτεινα. καὶ τίς πώποτε χαριζόμενος ἑτέρῳ τοῦτο εἰργάσατο;* § 58. *Εἶεν, ἀλλὰ δείσας περὶ ἐμαυτοῦ μὴ αὐτὸς παρ' ἐκείνου τοῦτο πάθοιμι; καὶ γὰρ ἂν τῶν τοιούτων ἕνεκά τις ἀναγκασθείη, τοῦτο ἐργάσασθαι. ἀλλὰ οὐδέν μοι τοιοῦτον ὑπῆρκτο εἰς αὐτόν. Ἀλλὰ χρήματα ἔμελλον λήψεσθαι ἀποκτείνας αὐτόν; ἀλλ' οὐκ ἦν αὐτῷ. κτά.*

Apud Andocidem duo egregia exempla legimus cf. 1, 148 *τίνα γὰρ καὶ ἀναβιβάσομαι δεησόμενον ὑπὲρ ἐμαυτοῦ; τὸν πατέρα; ἀλλὰ τέθνηκεν. ἀλλὰ τοὺς ἀδελφούς; ἀλλ' οὐκ εἰσίν. ἀλλὰ τοὺς παῖδας; ἀλλ' οὔπω γεγένηνται.* Alterum est 3, 14.

Plura extant apud Lysiam cf. 24, 24 *διὰ τί γὰρ ἂν καὶ τύχοιμι τοιούτων ὑμῶν; πότερον ὅτι δι' ἐμέ τις εἰς ἀγῶνα πώποτε καταστὰς ἀπώλεσε τὴν οὐσίαν; ἀλλ' οὐδ' ἂν εἷς ἀποδείξειεν. ἀλλ' ὅτι πολυπράγμων εἰμὶ καὶ θρασὺς καὶ φιλαπεχθήμων; ἀλλ' οὐ τοιαύταις ἀφορμαῖς τοῦ βίου πρὸς τὰ τοιαῦτα τυγχάνω χρώμενος. ἀλλ' ὅτι λίαν ὑβριστὴς καὶ βίαιος; ἀλλ' οὐδ' ἂν αὐτὸς φήσειεν, εἰ μὴ βούλοιτο καὶ τοῦτο ψεύδεσθαι τοῖς ἄλλοις ὁμοίως. ἀλλ' ὅτι ἐπὶ τῶν τριάκοντα γενόμενος ἐν δυνάμει κακῶς. ἐποίησα πολλοὺς τῶν πολιτῶν; ἀλλὰ μετὰ τοῦ ὑμετέρου πλήθους ἔφυγον εἰς Χαλκίδα τὴν ἐπ' Εὐρίπῳ κτά.* cf. etiam Lys. 10, 23 = 11, 8; 30, 26; 31, 24 sq. 2, 74.

Isocrates uno loco hoc genus dicendi adhibuit (cf. 17, 46), Isaeus tribus, cf. 2, 21; 5, 45; 11, 25.

Apud Demosthenis aequales rariora sunt exempla. cf. Aesch. 3, 230 et locos, qui leguntur in orationibus pseudodemosthenicis 35, 47 et 59, 118. Luculentum exemplum Polyeucti fragmentum est, quod Longinus (*π. εὑρέσεως* 9 p. 544 Walz) nobis tradidit. (cf. Sauppe, fr. orat. Att.)

Demosthenes ipse quoque, quippe qui maxime studiosus sit varietatis, nimis longam seriem subiectionum continuarum evitat. Loci, quibus utitur hoc genere dicendi, hi sunt. 1, 26. *ἂν δ' ἐκεῖνα Φίλιππος λάβῃ, τίς αὐτὸν ἔτι κωλύσαι δεῦρο βαδίζειν;*

[27]) In declamatione quae Georgiae vindicatur et inscribitur Palamedes saepissime adhibita est haec figura. Tota pars, quae est § 7—14, nihil fere continet nisi continuam seriem subiectionum, cf. etiam § 20.

Θηβαῖοι; μὴ λίαν πικρὸν εἰπεῖν ᾖ, καὶ συνεισβαλοῦσιν ἑτοίμως. ἀλλὰ Φωκεῖς; οἳ τὴν οἰκείαν οὐχ οἷοί τε ὄντες φυλάττειν, ἐὰν μὴ βοηθήσηθ' ὑμεῖς. ἢ ἄλλος τις; ἀλλ' ὤταν οὐχὶ βουλήσεται. 18, 24 τί γὰρ καὶ βουλόμενοι μετεπέμπεσθ' ἂν αὐτοὺς ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ; ἐπὶ τὴν εἰρήνην; ἀλλ' ὑπῆρχεν ἅπασιν. ἀλλ' ἐπὶ τὸν πόλεμον; ἀλλ' αὐτοὶ περὶ εἰρήνης ἐβουλεύεσθε. 21, 98 et 148 (cf. etiam 21, 89 sq., quo loco occupationes et refutationes plures leguntur, quae particula ἀλλά incipiunt, sed interrogationes non usurpantur); 24, 58, 81, 125 sq., 128 sq. 28, 18.

Videmus indolem huius generis dicendi eam esse, ut singulis interrogationibus propere subiciantur refutationes, atque apud oratores genuinos, etsi saepius interrogatio tam absurda est, ut refutatione nulla opus esse videatur, semper tamen pauca verba sequuntur, quibus error convincitur. Unus locus Timocrateae § 125 sq. huic legi repugnare videtur. Nam post binas interrogationes et refutationes sequitur tertia interrogatio, quae non refutatur. cf. § 125 ἐπεὶ Ἀνδροτίωνά γε πότερα οὐ πατρῷον τὸ δεδέσθαι; ἀλλ' αὐτοὶ ἴστε κτἀ. § 126 ἀλλὰ διὰ τὰ ἐπιτηδεύματα τὰ ἐν τῇ ἡλικίᾳ; ἀλλὰ καὶ διὰ ταῦτα δεδέσθαι αὐτῷ οὐχ ἧττον προσήκει ἢ δι' ἅπερ ὑφείλετο. ἢ ὅτι εἰσῄει εἰς τὴν ἀγορὰν οὐκ ἐξὸν αὐτῷ, καὶ ἐκ ταύτης τοὺς σωφρόνως βεβιωκότας αὐτὸς ἦγεν εἰς τὸ δεσμωτήριον; Verbis sequentibus Demosthenes nova subiectione a Timocrate ad Melanopum transit, ad quem refutatio quae sequitur pertinet. cf. verba: ἀλλὰ Μελάνωπος δεινὸν νὴ Δί' ἐστὶν εἰ δεθήσεσθαι νῦν ἔμελλεν; ἀλλὰ κτἀ. Sed cum tot alii loci sint, quibus nulla subiectio refutatione careat et hoc genus interrogationum per se ipsum responsionem poscere videatur, dubito, nonne Demosthenes ipse, si extremam manum Timocrateae attulisset, hoc quoque loco refutationem inserturus fuerit. Altera quoque subiectio huius loci paullo negligentius dicta est. Sensus poscit, ut ad verba: ἀλλὰ διὰ τὰ ἐπιτηδεύματα τὰ ἐν ἡλικία; suppleamus οὐ προσήκει αὐτῷ δεδέσθαι; sed primi membri, ad quod grammatice redeundum est, haec verba sunt: οὐ πατρῷον τὸ δεδέσθαι;

Aristogitoniae scriptor tribus locis hac figura usus est, et recte § 77 sq. et § 100 singulis interrogationibus refutationes addit. Eius quoque, de quo agimus, loci initium sic institutum est. cf. § 65 πότερον γὰρ ὅτι — διὰ ταῦτα αὐτὸν ὑμῖν ὑπολαμβάνετε εὔνουν εἶναι; ἀλλ' ἄτοπον νὴ τὸν Δία καὶ θεοὺς τοῦτο γε et § 67 ἀλλὰ νὴ Δί' ὅτι τὰς ἐνδείξεις αὐτοῦ κατεψη-

φίσασθε, καὶ δὶς εἰς τὸ δεσμωτήριον κατέθεσθε καὶ αὐτὸν καὶ τὸν ἀδελφόν, διὰ ταῦθ' ὑμῖν εὔνους ἐστίν; ἀλλὰ καὶ τοῦτ' ἄτοπον. Sed sequuntur quinque interrogationes incipientes *ἀλλ' ὅτι* (supplendum est, *διὰ ταῦθ' ὑμῖν εὔνους ἐστίν;*), nulla interposita vel in fine posita refutatione.

Iam vero vide quantum artis rhetor in hac periodo fingenda consumpserit! Tres primae subiectiones mera fere isocola sunt. Accedit similitudo verborum in fine collocatorum (*ὁμοιοτέλευτον*); *ἀλλ' ὅτι τὴν ἀρχὴν ἣν ἔλαχεν ἀπεδοκιμάσατε; ἀλλ' ὅτι παρανόμων αὐτοῦ κατέγνωτε; ἀλλ' ὅτι πέντε ταλάντων προσετιμήσατε;* Duo ultima membra eadem similitudine inter se coniuncta sunt et longitudine tribus antecedentibus praestant, ita ut quintum sit omnium amplissimum: *ἀλλ' ὅτι δακτυλοδεικτεῖτε ἐπὶ τῷ πονηρότατον τῶν ὄντων ἁπάντων δεικνύναι; ἀλλ' ὅτι τῶν ὑπαρχόντων νόμων καὶ πολιτείας μενόντων οὐκ ἔνι τῶν αἰσχρῶν αὐτῷ τούτων ἀπαλλαγῆναι;* Non ignorat rhetor legem artis rhetoricae, ut cola periodorum et longitudine et gravitate paullatim accrescant. Tota igitur periodus artis plena est, sed eius, quae quam maxime abhorreat a figura subiectionis.[28]) Praeterea ne hoc quidem loco rhetor ineptum sensum vitavit. Nam concludit seriem subiectionum his verbis: *ἀλλὰ διὰ τί ὑμῖν οὗτος εὔνους ἐστίν; ὅτι, φησίν, ἀναιδής ἐστιν. κτά.* At eà ex causa Aristogitonem benevolum esse erga Athenienses, quia sit impudens, hoc dicere omnino absurdum est.

Sed iam satis bene huius magnisonae orationis indolem perspeximus, quae quamvis vehementibus verbis incedat, tamen multis locis eas ineptias continet, quae oratorem verum admisisse omnino cogitari nequit. Itaque a rhetore pessimi iudicii composita est. Quamquam quotquot locis turpiter lapsus est scriptor, una laus iure ei tribuitur, colorem splendidum et magnificum satis scite eum operi suo aspersisse. Quodsi iudicii fere omnis expers fuit, ingenio non plane caruit. Testis est copia translationum, quarum plerasque ipse invenit, testis totius dictionis vivacitas et ardor. Permultum autem in his quoque rebus valet

[28]) Suspicionem non premo, rhetorem ansam cepisse huius loci confingendi ex loco Midianae, qui est § 98. Nam verba ibi sunt similia iis, quibus in Aristogitonia series subiectionum finitur. cf. *καὶ τίνα, ὦ πρὸς τῶν θεῶν, ἕξετ' εἰπεῖν πρόφασιν δικαίαν ἢ καλήν; ὅτι νὴ Δί' ἀσελγής ἐστι καὶ βδελυρός κτά.*

imitatio veterum oratorum quorum dictionem rhetor accuratissime cognitam habebat. Plena est tota oratio sententiis, figuris, phrasistris, verbis, quae ab oratoribus cum ceteris tum a Demosthene didicit. Nonnullos locos huius generis supra attigimus, multos alios Dobraeus, Blassius, Weilius notaverunt, velut § 6 = Dem. 20, 83; § 14 = 5, 3; § 31 = 19, 283 et 8, 51 (cf. etiam 20, 106 et 24, 57), § 36 = 19, 88 et 24, 101; § 47 = 19, 209; § 48 = 18, 123, § 55 = 18, 261; § 74 = 18, 13; § 76 = 23, 100; § 77 = 19, 200; § 82 = 18, 119; § 90 = Aesch. 3, 4.

Nos, cum sciamus, orationis scriptorem hominem Atticum non fuisse, minoris etiam momenti similitudines non casu, sed imitatione effectas esse putabimus, quales hae sunt: § 5 *δι' ἃ δ' ἂν καὶ μηδ' ὁτιοῦν ἀδικῶν τις ἔδεισε* = 19, 221 *ἐφ' οἷς ὁ μηδ' ὁτιοῦν ἀδικῶν ἐφοβούμην.*

§ 8. *βουλοίμην δ' ἂν — ὑμᾶς ἐξετάσαι —, εἰς ὅσην αἰσχύνην καὶ ἀδοξίαν προῆχε τὴν πόλιν κτὰ* = 23, 142 *θεάσασθε, εἰς ὅσην αἰσχύνην ἂν ἡ πόλις ἡμῶν ἐληλύθει* cf. etiam 19, 288.

§ 10. *τὰ προειμένα πόρρω βελτίω ποιῆσαι* = Dem. 5, 3 *τὰ παρόντα ἔσται βελτίω καὶ τὰ προειμένα σωθήσεται.*

§ 14. *καὶ νῦν ἐπὶ ταῦτα πορεύσομαι* = 18, 124 *ἤδη δ' ἐπὶ ταῦτα πορεύσομαι.*

§ 20. *λέξω δὲ οὔτε καινὸν οὔτε περιττὸν οὐδὲν οὔτ' ἴδιον ἀλλ' ὃ πάντες ὑμεῖς ἴστε ὁμοίως ἐμοί* = 9, 55 *λέξω δ' ἔργα ἃ πάντες εἴσεσθε.*

§ 22. *ὧν ἓν ἢ δύο ἐρῶ παραδείγματος ἕνεκα* = 23, 65 *ὧν ὡσπερεὶ δείγματος ἕνεκα ἄξιόν ἐστιν ἓν ἢ δύο ἀκοῦσαι.*

§ 27. *πάντων ἄρτι κληρουμένων Ἀθηναίων* = 19, 1 *ἑωρακότας ἄρτι τοὺς ὅτ' ἐκληροῦσθε κτά.*

§ 30. *τοῖς πονηροτάτοις καὶ δοκοῦσι καὶ οὖσιν* = 21, 217. *ἄνθρωπον καὶ δοκοῦντα καὶ ὄντα βίαιον.* cf. etiam 20, 135.

§ 30. *πάντα γὰρ ταῦθ' ὑπάρχει τούτῳ, καὶ πρόσεστι τοῖς οἷος οὗτός ἐστι τὴν φύσιν* = 18, 122 *ἃ σοὶ καὶ τῷ σῷ γένει πρόσεστιν.*

§ 38. *τὸν ῥήτορα, ᾧ ἐπολέμει* = 21, 29 *ὅτι ἐκείνῳ πολεμῶ.*

§ 48. *πλὴν εἰ συκοφάντου τις καὶ πονηροῦ σπέρμα καὶ ῥίζαν, ὡσπερανεὶ γεωργός, οἴεται δεῖν ὑπάρχειν τῇ πόλει* = 24, 154 *ἀλλ' οὐδὲ σπέρμα δεῖ καταβάλλειν ἐν τῇ πόλει οὐδένα, — τοιούτων πραγμάτων.*

§ 52. *πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς* = 19, 314. *διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται.* Multo saepius invenitur apud oratores *περιέρχεσθαι*

vel περιιέναι (κατὰ τὴν ἀγοράν), quod tanquam verbum proprium huius rei est (cf. Dem. 21, 36, 104, 198, 204 multis aliis locis). Id quoque falsarius saepius usurpavit cf. § 51, 52, 85, 74.

§ 59. τίς ἀξία τιμωρία; θάνατος μὲν γὰρ ἔμοιγε μικρὰ φαίνεται = 21, 92 τῆς γε ὕβρεως μικρὰ (scil. δίκη) θάνατος φαίνεται.

§ 63. εἶτ᾽ οὐκ αἰσχύνεσθε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ — = 20, 135, ubi eadem verba leguntur.

§ 69. ἡγοῦμαι τοίνυν καὶ περὶ τῆς ἐνδείξεως, ἅ μοι παραλείπειν ἔδοξε Λυκοῦργος, βέλτιον εἶναι πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν = 22, 3 ἅ μοι παραλιπεῖν Εὐκτήμων ἐδόκει, βέλτιον δ᾽ ὑμᾶς ἀκοῦσαι, ταῦτα διεξελθεῖν ἐν βραχέσι πειράσομαι.

§ 81. τί οὖν λοιπόν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι; ἃ — ὑμῶν ἕκαστος ἔχων οἴκοθεν ἔρχεται, ἔλεον, συγγνώμην, φιλανθρωπίαν = 21, 99. τί οὖν ὑπόλοιπον; ἐλεῆσαι νὴ Δία.

§ 83. τίνος δὲ συγγνώμης ἢ ποίων ἐλέων οἱ σεσυκοφαντημένοι τετυχήκασι παρὰ τούτου = 21, 106 τίνος συγγνώμης ἢ τίνος ἐλέου δικαίως τεύξεται παρ᾽ ὑμῖν;

§ 84. παρῆν καὶ ἐξητάζετο = 18, 217 παρῆν καὶ μετὰ τῶν ἄλλων ἐξητάζετο.

§ 92. μάλιστα μὲν αὐτῷ θανάτου τιμῆσαι, εἰ δὲ μή, τοσοῦτον ἐπιθεῖναι τίμημα κτὰ = 21, 152. τοῦτο δ᾽ ἐστὶ μάλιστα μὲν θάνατος, εἰ δὲ μή, πάντα τὰ ὄντα ἀφελέσθαι.

§ 98. ποίοις προσώποις ἢ τίσιν ὀφθαλμοῖς πρὸς ἕκαστον τούτων ἀντιβλέψετε; = 18, 201 τίσι δ᾽ ὀφθαλμοῖς πρὸς Διὸς ἑωρῶμεν ἂν κτά.

§ 100. τίς ὁ τῆς τούτου πονηρίας — κληρονομεῖν βουλησόμενος = 19, 320. ταύτης γὰρ οὐκέτ᾽ ἐγὼ τῆς αἰσχύνης κληρονομῶ.

§ 100. (cf. § 98) ἢ τί ἐρεῖτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τί ἐρεῖτε, ἄν τις ὑμᾶς ἐρωτᾷ γνωρίσας τοὺς ἀπηψηφισμένους; τί φήσετε; = 8, 37. ἂν ταῦτα λέγωσιν, τί ἐροῦμεν ἢ τί φήσομεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι;

Valde placuisse rhetori videtur formula ὃ μὴ γένοιτο similia cf. praeter § 31, qua Demosthenis locum 19, 285 expressit, § 30, 32, 95 ὃ μήτε ἰδίᾳ μήτε δημοσίᾳ γένοιτο, § 75 οὐκ ἔστι τοῦτο γενέσθαι, μηδὲ γένοιτο, § 86 οὔτε γὰρ ἔστι μήτε γένοιτο τοῦτο, οὔτ᾽ ἐγὼ νομίζω. Haec quoque ex Demosthene didicit (cf. 8, 68 ἀναιδὴς οὔτ᾽ εἰμὶ μήτε γενοίμην, 19, 149; 21, 209; 8, 51; simplex ὃ μὴ γένοιτο extat 15, 21; 27, 67; 28, 21; 36, 49. cf. etiam Lys. 19, 38;

31, 14.), deinde novum exemplum ipse invenit; cf. § 96 *οὐδένα πώποτ' ἴσως ὑμῶν ἔχις ἔδακεν μηδὲ δάκοι.*

Interdum formam tantum periodorum Demosthenicorum expressit, cum sententia diversa sit. cf. § 7 *ἔστι δὲ τοῦτο τῷ μὲν λαβόντι — δυναστεία, ὑμῖν δὲ — ὄνειδος* cum 20, 69 *ἔστι δὲ τοῦτο τὸ γράμμα — ἐκείνῳ μὲν φιλοτιμία, ὑμῖν δὲ κτά.*

§ 64. *βούλομαι δὴ — ἐξετάσαι —, ἵν' εἰ μὲν ἐστι τοιαύτη, χρῆσθε αὐτῇ καὶ πιστεύητε, εἰ δὲ μή, φυλάττησθε* cum 6, 6 *δεηθῆναι — ὑμῶν — βούλομαι — ἀκοῦσαί μου —, ἵν' ἐὰν μὲν — ἀνδ' —.*

Hoc studio imitandi perductus est, ut totam orationem referciret asyndetis, polysyndetis, aliis dicendi luminibus, quorum ipsa nimia copia rhetorem convincit. Cui, cum Demosthenis dictionem exprimere conaretur, accidit, ut ea, quae propria illius esse vidit, saepius adhiberet, quam ille ipse. Ex asyndetis autem permulta sunt trimembria quem numerum membrorum Demosthenes quoque in deliciis habet. cf. § 52. *ἄσπειστος, ἀνίδρυτος, ἄμικτος* cum Dem. 4, 36 *ἄτακτα, ἀδιόρθωτα, ἀόριστα* et 9, 40 *ἄχρηστα, ἄπρακτα, ἀνόητα;* et § 36, 41, 76, 78, 81 cum Dem. 6, 18; 8, 36, 56, 66, 76; 19, 23, 62; 20, 10, 60, 164, 200. Ad § 49 *βοῶν, συκοφαντῶν, ἀπειλῶν* cf. 21, 17 *βοῶν, ἀπειλῶν* et 22, 68 *δέων, ἀπάγων, βοῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις* et 24, 13 *ἐβόων, ἠγανάκτουν, ἐλοιδοροῦντο.* Ne id quidem rhetorem fugit, Demosthenem solere longiorem seriem asyndetórum vel polysyndetorum claudere membro generali, velut verbis *ἄλλα μύρια, πάντα τά τοιαῦτα* vel similem in modum, cf. § 23 et 47, quibus *ἄλλα μύρια,* § 9, 19, 26, quibus *πάντα* vel *πάντα τὰ τοιαῦτα,* § 76, qua *ἕτερα τοιαῦτα,* § 52, qua *οὐκ ἄλλ' οὐδέν* in ultimo membro talium periodorum legimus.

Anaphorarum quoque et verborum geminationum, quas adhibuit, nonnullae aperte Demosthenem redolent. cf. § 63 *οὐκ ἀσεβής; οὐκ ὠμός; οὐκ ἀκάθαρτος; οὐ συκοφάντης* cum Dem. 3, 16 *οὐκ ἐχθρός; οὐκ ἔχων τὰ ἡμέτερα; οὐ βάρβαρος; οὐχ ὅ,τι ἂν εἴποι τις;* § 58 *μιαρὸν μιαρὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸ θηρίον καὶ ἄμικτον* et § 95 *ἀνίατον ἀνίατον, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸ πρᾶγμά ἐστι τὸ τούτου* cum Dem. 18, 242 *πονηρόν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πονηρὸν ὁ συκοφάντης ἀεὶ καὶ πανταχόθεν βάσκανον καὶ φιλαίτιον.*

Demosthenis porro sunt breves illae interrogationes, velut *διὰ τί;* (cf. § 27, 39, 48, 81.) *περὶ τοῦ;* (§ 37.) cf. etiam § 78 *τὰς πότε ἢ ποῦ γεγονυίας;* § 84 *πόθεν ἢ παρὰ τοῦ;* § 88 *πῶς οὖν ἐκεῖναι;*

Morem quoque, quem Demosthenes saepius ceteris oratoribus sequitur, duo verba pro una notione ponendi, rhetor multis locis imitatus est. cf. § 8 *αἰσχύνην καὶ ἀδοξίαν* cum 19, 83; § 38 *παρακρούσασθαι καὶ φενακίσαι* cum 20, 88 aliis locis (cf. Rehd. Ind. II s. v. *φενακίζειν*); § 46 *πράγματα καὶ κακά* cum 21, 17; § 92 *σαφὲς καὶ ἐναργές* cum 14, 4 et 19, 263; § 39 *τὸν κρινοῦντά τινας καὶ συκοφαντήσοντα* cum 36, 53 *συκοφαντῶν καὶ κρίνων τινάς*. Paullo post verba leguntur: *τὸν κατηγορήσοντα τῶν ἄλλων καὶ πάντας κρινοῦντα*, quae amplificatio vix apta est. Aliis quoque locis rhetor in hoc usu imitando cecidit. Duos supra iam attigi cf. § 13 *κατατάττοντας καὶ προχειριζομένους* et § 14 *δότε καὶ συγχωρήσατε*, alia exempla Braunius attulit (p. 14), qui tamen non dubitat hanc abundantiam inutilem oratori genuino tribuere.

Accedunt deorum obtestationes, quae viginti locis orationis extant (cf. Braunius p. 30) et formulae, quibus iudices apellantur, velut *σκοπεῖτε δ' οὑτωσί* (§ 3) cf. etiam § 34, 38, 50, 72, 86, 96. Haec quoque lumina saepius adhibuit quam Demosthenes vel ceteri oratores.[29]) Denique totus est in imitandis oratoribus, Demosthenicae vero dictionis imaginem tam accurate expressit, ut neque illud *οὐδὲ πολλοῦ δεῖ*, quod praeter Demosthenem nullus alius orator Atticus temptavit (cf. Rehd. Ind. II s. v. *δέω*), neque *ἀλλ' οὐδ' ὁτιοῦν*, quod uno loco Demosthenis pro *οὐδ' ὁτιοῦν* legitur (cf. 21, 114), omitteret (cf. § 85 et 87 *οὐδὲ πολλοῦ δεῖ*, § 5 *ἀλλ' οὐδ' ὁτιοῦν*).

---

[29]) In Midiana, quae omnium orationum Demosthenicarum vehementissima est, viginti quattuor locis deorum obtestationes inveniuntur (§ 2, 3, 25, 41, 48, 58, 66, 73, 89, 98 (bis), 99, 108, 109, 139, 148, 160, 166, 172, 198 (bis), 205, 207, 222), in or. XVIII quindecim, XIX viginti, XX tredecim, XXIII quindecim, XXIV duodecim locis; in Androtionea, quae haud ita multo brevior est quam Aristogitonia, tribus tantum locis extant (§ 33, 69, 78).

Ad *σκοπεῖτε δ' οὑτωσί* similia cf. Dem. 18, 48 et 300 *σκοπεῖτε δέ*, 244 *οὑτωσὶ δὲ λογίζεσθε*; 322 *ὁρᾶτε δέ*. 19, 53, 256, 278 *σκοπεῖτε γάρ*, 148 *ἔτι τοίνυν κἀκεῖνο σκέψασθε*, 205 *θεάσασθε δή*, 213 *ἔτι τοίνυν κἀκεῖνο σκοπεῖτε*; 20, 21 *ὁρᾶτε δ' οὑτωσί*; 21, 58 *φέρε δὴ πρὸς θεῶν κἀκεῖνο σκέψασθε*; 22, 60 *σκέψασθε γὰρ ὡδί*; 23, 67 *σκέψασθε γὰρ οὑτωσί* cf. § 130.

Vidimus, orationem esse compositam ab homine, qui eloquentiam non in foro ipso sed in cubiculo didicisset. Id quoque pro certo statuere possumus, Atheniensem eum non fuisse. Nam licet plurimae ineptiae inde ortae sint, quod rhetor verborum splendori operam dedit, sententiam neglexit, tamen cogitari nequit, hominem Atticum, quamvis reipublicae imperitum, de verbis propriis iuris Attici talia nugatum esse, qualia § 21 et 27 huius orationis invenimus. Quod si verum est, quaeritur, quid homo, qui in aliena civitate vivebat, sibi proposuerit, cum hanc orationem componeret. Estne a magistro aliquo elaborata, ut discipulis exemplar praeclarum artis suae proponeret, an a discipulo scholae rhetoricae exercitationis causa composita? Neutrum mihi verisimile videtur. Perspicuum enim est, scriptorem non solum dictionem Demosthenis tanquam omnium oratorum principis imitatum esse, sed omni studio incubuisse, ut reipublicae Atheniensis instituta exprimeret et colorem fori Attici orationi superfunderet. Cur tantam operam rei tam inutili collocavit? Cur homo iuris Attici imperitissimus, per totam orationem speciem prae se fert iuris peritiae? Cur tandem, si declamationem ad forum fictam scribere voluit, non suae civitatis instituta depingenda sibi proposuit, sed ex iure Attico materiem satis difficilem sibi elegit? Cur de vita Aristogitonis tam multa sibi collegit? Cur Theoridem Lemniam, quam constat ab Atheniensibus, Demothene accusante, capitis esse damnatam (cf. Harpocrat. s. v. Θεωρίς), cur Philocratem Eleusinium in orationem induxit? Equidem unam tantum viam video qua haec explicari possint, ut censeamus, orationem eo consilio esse fictam, ut ab iis, qui legerent, pro Demosthenica haberetur. Tota oratio melius intelligi mihi videtur, si hoc statuimus. Neque enim sine fraude rhetor in imitando Demosthene agit. Diligenter cavet, ne ullo loco nimis multa verba Demosthenis sibi assumat,

ne nimis apertum fiat furtum; semper sua immiscet lumina Demosthenicis. Quodsi bibliopolas, lucri faciendi causa, saepe nomina praeclarorum scriptorum libris non ab iis compositis inscripsisse constat, non incredibile mihi videtur, rhetorem ideo orationem finxisse, ut pro Demosthenica veniret.

Quo autem tempore hoc factum putabimus? Ante Callimachi aetatem orationem ortam esse certum est. Nam novit eam Dionysius Halicarnassensis, qui cum de orationum traditarum genuitate quaereret, profectus est ab Alexandrinorum catalogis. Praeterea credibile non est, temporibus illis, quibus eloquentia Asiana florebat, oratores Attici in oblivionem fere ruerant[30]), rhetorem ullum tam peritum eloquentiae Atticae fuisse, tam penitus cum verborum usum tum periodorum compositionem Atticorum hausisse. Ne id quidem credibile mihi videtur, illis temporibus quemquam conatum esse dictionis Demosthenicae imaginem tam accurate exprimere. Restat igitur temporis spatium septuaginta fere annorum, quo oratio composita esse potest (320—250 a. C. n.), accuratius tempus definiri nequit.

Superest ut quaeramus num quid de loco, quo orta sit, statui possit. Wilamowitzius (cf. Ind. lect. Gryphisw. 1879—80) suspicatus est, Rhodi vel Cauni eam scriptam esse. Causam non attulit, cur hoc putaret, tamen sunt nonnulla, quae pro hac sententia pugnare videantur. Constat, Aeschinem, cum Athenis abiisset, Rhodi fuisse, ibique scholam rhetoricam condidisse (cf. Quintil. XII, 10, 18; Pseudoplut. Vit. X Orat. p. 343, d.). Sed quis nobis spondebit, ante Callimachum Rhodi tantum id genus scholam fuisse? Ac licet re vera haec fuerit via, qua eloquentia Athenis in Asiam migraret, ut ab Aeschine Rhodum transferretur, inde in ceteras urbes Asiae minoris perveniret: satis brevi tempore per totam fere Asiam videtur manasse. Neque enim ita multo post Demosthenem mortuum, quantum scimus, Hegesias, princeps Asianorum, extitit et multi alii oratores tertio saeculo in Asia fuerunt. Itaque melius erit, plura scire nolle, quam comperire possumus. Hoc tamen ego quoque pro certo habendum putaverim, Asianae eloquentiae nascentis monumentum hanc orationem esse. Neque enim vestigium est, in urbe ulla Graeciae ipsius praeter Athenas eloquentiam ratione et via esse cultam,

---

[30]) cf. de his rebus Blasii librum, qui inscribitur: Die griechische Beredsamkeit in dem Zeitraum von Alexander bis auf Augustus.

Alexandriae autem scholas rhetorum fuisse nemo erit qui contendat. Itaque quae alia regio Graeca restat, ad quam possit referri, nisi Asia minor, in qua tum floruit eloquentia? Quodsi iudicia comparo, quae ab antiquis de eloquentia Asiana prolata sunt, certior etiam mihi fit haec sententia. Unum locum Quintiliani liceat mihi afferre. cf. XII, 10, 16: Et antiqua quidem illa divisio inter Atticos et Asianos fuit: quum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur; in his nihil superflueret, illis iudicium maxime ac modus deesset; et § 17. Mihi autem orationis differentiam fecisse et dicentium et audientium naturae videntur: quod Attici, limati quidem et emuncti, nihil inane aut redundans ferebant; Asiana gens, tumidior alioqui atque iactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata est.' Haec nonne ipsa eadem vitia sunt, quae nos in hac oratione deprehendimus?

Sed has quaestiones valde difficiles et lubricas alii fortasse ad certiorem finem perducent, mihi satis erit, si omnibus persuasero, hanc orationem plenam ineptiarum quam maxime alienam esse a foro Attico.

Corrigenda.

p. 3 l. 6 Hyperidis pro Hyperides.
p. 6 l. 35 Aristone pro Aristogitone.

Vita scriptoris.

Richardus Wagner natus sum Kal. Iul. a. h. s. LX Parchimii patre Friderico matre Emma e gente Beckmanna, quorum utroque adhuc vivente gaudeo. Prima elementa litterarum in ludo elementario gymnasii Parchimensis Friderico-Franciscani didici, inde nonum annum agens in gymnasium ipsum promotus ordines eius decem annis percucurri. Vere a. h. s. LXXIX testimonium maturitatis adeptus philologiae et historiae studere constitui, quae disciplinae omnium, quibus imbutus eram, semper maxime me allicuerant, praesertim cum a praeceptoribus optimis Dr. Schmidtio et Meiero directore mihi traderentur.

Atque initium studiorum feci Rostochii, in Academia patriae, ubi duos annos, quorum uno stipendia quoque merui, commoratus operam dedi Foerstero, Fritzschio, Schirrmachero, de Stein. Vere a. h. s. LXXXI Lipsiam cum petiissem duo per semestria Curtium, Langium, Lipsium, de Noorden, Voigtium, Wundium, Heinzium audivi, seminariique historici a Noordenio temperati sodalis fui. Vere a. LXXXII Rostochium reversus unum etiam annum ibi egi. Exercitationibus seminarii philologici Rostochiensis interfui quinque per semestria, primum sub auspiciis Fritzschii et Foersteri, deinde Kaibelii, historici sodalis fui tria per semestria sub auspiciis Schirrmacheri. Quibus omnibus viris illustrissimis summam gratiam me debere ex animo profiteor.

Cervimontii
ex officina typographica ‚Bote a. d. Riesengebirge‘.